

00
Kk

I
5.
N° 32

Zur Bibliothek des Königs und Herzogs von Sachsen
Mit dem beigegebenen Aufdruck.

12

44.

DISSE R TAT I O

DE
BESTIARIIS
INTER
ANTIQVIORES CHRISTIANOS

QVAM
P R A E S I D E
IO. GEORGIO WALCHIO
THEOL. D. ET P. P. ORD. SERENISSIMOR. SAX. DVC. AC MARG.
GRAVII BRANDENBURG. ONOLDIN. A CONSILIIS ECCLE-
SIAST. ET CONSISTOR. CIVIVM IN HAC ACAD. MEINVNG.
ET ONOLD. INSPECTORE
PATRONO PRAECEPTORE AC HOSPITE SVMMA PIETATE COLENDO
D. XII. FEBR. M DCC XXXVI.
P V B L I C O E R V D I T O R V M EXAMI NI S V B I I C I T
A V C T O R
CHRIST. NIC. KOCH
BVXOV. ALSATVS.
SACRAR. LITTERAR. CVLTOR.



IENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

DIE
BESTÄRDE
ANTIDOTRE CHRISTIANOS

IN CHORALBUCHEN

CHRISTIANISCHER
GEMEINDE-
DIALEKT



DISSERTATIO
DE
BESTIARIIS INTER ANTIQVIO-
RES CHRISTIANOS.

ΣΤΝΟΨΙΣ.

ARGMVENTVM commentationis
Ab hiis breuiter indicatur §. I.
Ac primum exponit generatim de
bestiariis apud gentes superstitiones;
eorum origine §. II.
Variis nominibus grecis ac latinis
§. III. IV. V.
Diversis generibus; quam alii cum be-
stiis pugnarent; alii vero illis obi-
cerentur §. VI.
Deinde speciatim de bestiariis inter-
veteres christianos, ubi monstratur,
nullum eorum exemplum in scriptu-
ra sacra commemorari et pugnam
Pauli cum bestiis figurare intelli-
gendarum esse §. VII. - X.
Ex monumentis tanien ecclesiasticis illi
perconsernuntur, qui inter antiquo-
res christianos bestias sunt traditi
eo ordine, ut enarrantur causa
propter quas bonines christiane

professionis facti fuerint bestiarii
§. XI. - XVI.
Ipse bestiae, quibus sint obiecti §. XVII.
XVIII.
Tempora, quando supplicio hoc sint
adfecti §. XIX. XX.
Varii modi, christianos bestias ad pra-
dam proponendi §. XXI. - XXIV.
Quibus omnibus expostis, laudatur
cum christianorum singularis fortit-
tudo in suppliciis his perferendis;
tam excinia dei prouidentia, que
bestiarum ferociam et impetus in-
terdum comprescit, §. XXV. XXVI.
Simil autem ostenditur, prouidentiam
hanc ad animos gentis superstitione
mitigandos nihil valuisse, quem chri-
stianos, in quos serae impetus face-
re noluerunt, aliis adfecit suppli-
ciis: immo in offa eorum fievit
§. XXVII.

A

ACER-

* * *

ACERBVM illud odium, quod imperatores romani contra sanctiorem ceterum, vix a seruatore nostro eiusque legatis constitutum, animo conceperunt, istos ad id adduxit, ut contra christiana doctrinæ veritatisque confessores vehementissime fœuissent. Id quod ne sine omni specie fieret, se nihil ad hanc rem aptius ex cogitare posse, crediderunt, quam si acerrimas contra illos pios atque innocentes homines calumnias proferrent et ex iis occasionem caperent, maximæ suæ iræ atque acerbatis virüs effundendi omniumque malorum, quæ ipsis iusto dei iudicio eveniebant, culpam in christianos transferendi. Omnia hæc æui illius scriptores, præsertim apologetici, tradunt gentiumque superstitionarum adclamations, * ac præter has, priscorum monumentorum inscriptions ** confirmant. Ipsa cruciatum genera, quibus christianam religionem evenerere, homines, verorum sacrorum expertes, conati sunt, non est, quod percenseamus, quia hoc non solum a nobis

pro-

* de adclamationibus his infra exponamus.

** IAN. GRVTERVS *inscript.*
P. CCXXXVIII. num. 9. hanc recentefat inscriptionem:

NERONI CL. CAIS.
AVG. PONT. MAX.
• B. PROVINC. LATRONIE.
ET. HIS. QVI. NOVAM.
GENERALI. HVM. SUPER-
STITION. INCVLCAB.
TVRGATAM.

p. CCLXXX. num. 3.

DIOCLETIANVS. IO VIVS. ET.
MAXIMILIAN. HERCVLEVS.CAES. AVGG.
AMPLIFICATO. PER. ORIEN-
TEM. ET. OCCIDENTEM.IMP. ROM.
ET.
NOMINE. CHRISTIANORVM
DELETO. QUI. REMP. EVER-
TEBANT.

proposita scriptione alienum est; verum etiam multi eruditissimi viri in eo operam suam collocarunt, ut argumento huic explanando solide satisfacerent, ANTONIVS GALLONIVS * videlicet, CASPAR SAGITTARIVS, ** CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *** IO. MEISNERVS. * aliisque, quorum scripta a venerando PRAESIDE ** commemorata sunt. Iam animus est, tantum de bestiariis inter antiquiores christianos; siue de iis, qui doctrinæ christianæ causa bestiis obiecti fuerunt, exponere ac documenta de illis, in veterum scriptorum libris conseruata, enarrare.

§. II.

Ordinis ratio iubet nos, primum supplicii, quo antiquiores christi confessores ita adfecti sunt, ut bestiis traderentur, originem; siue potius occasionem explicare. Exhibuisse illam ludorum genus, apud gentes, cultui plurium deorum addictas, visitatum, quo damnati belluis obiiciebantur, dubitatione caret. Quod Romani eiusmodi spectacula primi instiquerint, TERTULIANVS *** existimare videtur, quando dicit: *olim, quoniā animas defūctorum humano sanguine propitiari,*

A 2

credi-

* de martyrum cruciatibus, qui liber editus est primum italicice Rom. M D X C I. 4. deinde latine Romae M D X C I V. 4. Colon. M D C I I. 8. item Antwerpiae M D C L X V I I I. 12.

** de martyrum cruciatibus, ann. M D C L X X I I I. et libro de mortalitatis martyrum ann. M D C L X X V I I I.

*** de persecutionibus ecclesie primitiae sub imperatoribus ethniciis, qui liber prodit ann. M D C L X . et

auctior ann. M D C L X X X I X .

* differt. de persecutionibus et martyribus christianorum veterum M D C L X X .

** proleg. hist. eccl. nov. test. §. XXXI. p. 91. sqq. Plures eiusmodi scriptores percenset quoque IO. A. L. B. FABRICIVS in salutari luce euangelii cap. VII. p. 133. sqq.

*** de spectaculis cap. XII. p. 95. sqq. oper.

credidum erat, caprius vel mali status seruos mercati in exsequiis immolabant, ac quibusdam interiectis, addit: sed paullatim prouecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia ferarum voluptari satis non siebat, nisi et feris humana corpora dissparentur. Sed a græcis, præfertim ab Atheniensibus, horum spectaculorum originem repetendam esse, alii scriptores nos docent. Præter reliquos, testis est CASSIODORVS: * hunc ludum, inquit, crudelēm, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam, ut ita dixerim, feritatem Atheniensēs primum ad ciuitatis sue perduxere culturam, iustitia permitente diuina, huicque merito adiungitur LVCIANVS, ** quium apud illum illum hæc legenda sunt: παραλαβὼν γὰρ οὐ, ὡς ἐπὶ τερπονόν τι, καὶ παρέδοξον θέαμα τὸν ἐληνικὸν ἄγει εἰς τὸ θέατρον καὶ παθίσαντες ἐωράμεν τὸ μὲν πρῶτον Θηρία πατακοντίζουσα, καὶ ὅποι κυνὸν διωρύμενα, καὶ ἐπ' αὐθεώτας δεδεμένας ἀφίεμενα, καινέγγει τινάς, ὡς εἰνδομένειν, etenim me assumptum duxit in theatrum, tamquam ad iucundum aliquod et nouum græcorum spectaculum. Ergo ubi confidimus, spectabamus primum quidem seras, iaculis confixas et a canibus agitatas, et in homines vincitos emissas, nocentes quospiam, ut coniciebamus. A græcis sine dubio spectacula hæc Romam sunt translata ac præcipue imperatorum temporibus in yslu fuerunt, quemadmodum ex iis scriptoribus, qui in eorum vitiis describendis studia sua collocarunt, patet. SVETONIVS *** de Caligula hæc reliquit scripta: multos honesti ordinis, deformatos prius signatarum notis, ad metallas; aut viarum munitiones; aut ad bestias condemnauit; de Tiberio Claudio autem refert,

* libr. VI. variar. tom. I. oper.
p. 88.

** in toxar. tom. II. oper. p. 72.
*** in vita eius cap. XXVII.

fert, * quod in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnauerit, ac de eodem dicit : ** bestiariis meridianisque adeo deletabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet. Idem de imperatore hoc etiam DIO *** ita memorat : τὰ τε γαρ ἀλλα καὶ τὸ διά μέσον τῆς θέας παρὰ τὸν τὴν αἰτίαν κατακοπῶντας οὐδέποτε ἐθέλεις, præter cetera libenter spectabat sub prandii tempus eos, qui in medio theatre dilaniabantur. Quos SVETONIUS bestiarios appellat, eos DIO κατακοπῶντας, discerpentes vocat atque illos intelligit, qui bestiis obiciiebantur, eo consilio, vt ab iis discepti extinguerentur. Apud A.GELLIVM * tradit Appion, qui Plisontes nomen habuit, se Romæ fuisse spectatorem pugnæ, cum multis ferocibus bestiis institutæ, ac præter alios, adductum esse seruum viri consularis, vt in certamen cum illis veniret, cuiusmodi plura testimonia VOPISCVS, IVLIVS CAPITOLINVS, LAMPRIDIUS ac reliqui scriptores exhibit. Ex recentioribus argumentum hoc perfecuti sunt : ONVPHRIVS PANVINIUS, ** IVLIVS CAESAR. BULLENGERVS *** atque alii, postea excitandi.

§. III.

Qui cum bestiis depugnabant in circo atque in amphitheatris ; vel illis obiciiebantur, bestiarii adpellati

A 3

* vit. Claudi cap. XIV.

saur. antiquit. romanar. tom. IX. p. I.
translati sunt.

** ib. cap. XXXIV.

*** qui singulari libro commen-

*** libr. LX. p. 774.

tatus est de circo romano ludisque cir-

* libr. v. not. Atticay. cap. 14.

cenibus et alio de venatione circi et

** libris de ludiis circensis, qui
10. ARGOLI adnorationibus illu-
strati, non solum separatis prodie-
runt; sed etiam in GRAEVII the-

ampitheatri. Vterque itidem extat

GRAEVII thesaur. antiquit. romanar.
tom. IX. p. 577. et 749.

lati sunt. Nomen hoc et in profanis et in ecclesiasticis scriptorum monumentis occurrit. In illis perspicua habemus testimonia. CICERO * dicit: *an erit hac optio et potestas tua, ut quem Clodianas operas et facinerosorum hominum et perditorum manum videris, Milonem dicas, id quod in concione dixisti, gladiatoriis et bestiariis obsecuisse rem publicam*; alio loco: ** *praelara adilitas: unus leo; ducenti bestiarii, ae de Catone*; *** *ille vindex gladiatorum et bestiariorum emerat de Cosconio et Pomponio bestiarios; nec sine his armatis unquam in publico fuerat.* SENECA * meminuit Iudi bestiariorum, et alibi ** hæc habet: *leонem in amphitheatro spectauimus, qui unum e bestiariis agnitus, quem quondam eius fuisse magister, protexit ab impetu bestiarum; quomodo autem SVETONIVS retulerit, imperatorem Claudium bestiariis delestatum fuisse, paulo ante obseruauimus. Eamdem vocem auctoritate veterum auctorum christianorum praeditam esse, ex his TERFULLIANI *** verbis patet: in illa religiosissima urbe Aeneadrum piorum est iupiter quidam, quem Iudis suis humano proluunt sanguine. Sed bestiarii, inquit, quo et hoc illius spectat effatum: * non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam, cenam videlicet; siue ut alii legint; suprema cœnantibus mos est. Qui cum bestiis pugnarunt, si dicuntur etiam a latinis scriptoribus: confessores ferarum, ** arenarii, quium in arena, id*

* oration. in Vatinium cap. XVII.

** orat. pro P. Sextio cap. LXIV.

*** libr. II. epist. 6. ad Quintum fratrem.

* epistol. LXX.

** libr. II. de benefic. cap. 19.

*** apologetic. cap. IX.

* ibid. cap. XLII.

** vid. SVETONIVM Auguſt. cap. XLIII. et Neron. cap. XII. HENRI-

CVS tamen VALESIVS obſeruat, confessores ferarum confundi cum bestiis.

id est, amphitheatro, aduersus bestias decertarent * et quemadmodum nonnulli putant, *conflices*, qui conto; siue hasta longiore pugnant ac feras interficiant, quamvis vox haec nullo, ad probandum usum idoneo, testimonio nitatur.

§. IV.

IIIi, quibus latinum bestiariorum nomen datum est, a Græcis θηριομάχοι adpellantur, ita ut vox haec et agendi et patiendi habeat significationem; nec solum de iis; qui cum bestiis certamen inierunt; sed etiam de damnatis ad feritatem atque immanitatem belluarum usurpetur. Ad hoc tamen nomen de illis, qui cum feris pugnarunt, aliud idque παραβόλων accessit, quod denotat homines maxime audaces, temerarios et ad quævis pericula subeunda paratos. SOCRATES ** quum de Theodosio exponit, inter alia et haec refert: κυνήγια δέ ωστε εἰ τῷ αὐτῷ θεάτρῳ τῆς Κωνσταντίνου τόλεως ἐπιστελλόντος ἀντί, δὲ δῆμος κατέβα, δενῶ Θηρία ἵνα τῶν εὐφυῶν παραβόλων μάχεσθαι, quum aliquando venationis spectaculum in amphitheatro præberet Constantinopoli, populus vociferari coepit: cum fera bestia audax quidam bestiarius pugner. Idem habet CASSIODORVS *** ac dicit: dum aliquo tempore ipse in amphitheatro Constantinoeos exspectaret, coepit clamare populus: crudeli bestie artifex parabolus pugnet.

Vt

bestiaris, quoniam illi non pugnauerint cum bestiis; sed ad conficiendas feras exhibiti sint, ubi stragelli populo minarentur, etiam ad bellari lancearii, adnotat in libr. iv. Eusebii hist. eccl. cap. 15. p. 72.

* apud SYMMACHVM libr. v.

epist. 39. adde IVST. LIPSIVM libr. de amphitheatro cap. iii. tom. iii. oper. p. 1004.

** libr. vii. histor. eccl. cap. 22.

*** libr. xi. histor. eccl. tripart. cap. 17. conf. NICEPHORVM libr. XIV. histor. eccl. cap. 3.

Vti autem dicti sunt paraboli; ita quoque parabolarii ac parabolani, quam in rem præ aliis testatur **IVLIVS FIRMICVS**: * nati, inquit, sub sidere canicule erunt venatores, arenarii, parabolarii et qui sub conspicu populi in caueis cum feris pugnant. Quum gentes superstitione no men hoc antiquioribus christi confessoribus ludibrii et contemtionis cauſſa imponerent, tantum abfuit, vt hi abhorrent a nomine hoc, vt ipſi nonnunquam id ſibi darent atque ita teſtificarentur, quod glorioſum ſibi ſit, pro christi cauſſa feritati bestiarum exponi. In actis Abdonis et Sennes martyrum narratur, quod illi tempore Valeriani in amphitheatrum introducti fuerint, vt ibi a bestiis dispergerentur, ſequē tamquam audacifimos parabolanos exhibuerint. Eam quoque ob cauſſam veteres christiani desperati vocati ſunt; quam tamen adpellandi rationem eſſe contumeliosam et maiori iure ad aduersarios eorum pertinere, non ſine ratione iudicabant. Constat hoc testimoniiſ, ſatis ad probationem idoneis. **LACTANTIVS** ** dicit: qui magni eſtimauerint fidem cultoresque ſe dei non abnegauerint; in eos vero totis carnificinæ ſuæ viribus, veluti ſanguinem ſtriant, incubunt et desperatos vocant, quia corpori ſuo minime parcunt, quaſi quidquam desperatiuſ eſſe poſſit; quam torquere ac dilaniare eum, quem ſcias eſſe innocentem. **TERTVLLIANVS** *** ſcribit: desperati et perditū exſtimamur, id quod et haec paganorum hominum conuicia in christianos apud **MINVCIVM FELICEM** * conſir-
mant:

* libr. v III. matheſ.

** libr. v. institut. diuinar. cap. 9.
§. 12.

*** apologetic. cap. x.

* Oſtau. cap. VIII. conf. que eius interpretes **WOWERVS**, **EL-
MENHORSTIVS**, **HERALDV** ob-
ſeruarunt.

mant: quid? homines, homines, inquam, deplorate, illicitae ac desperatae factionis graffari in deos, non ingemiscendum est? Plura de parabolis edisserunt: IVLIVS CAESAR BYLENGERVS, * ADRIANVS TVRNEBVS, ** CLAVDIVS SALMASIVS, *** GER. IO. VOSSIVS, * HENRICVS VALESIVS, ** SAMVEL PITISCVS, *** SIGISMUNDVS HAVERCAMPVS * atque alii. **

§. V.

Quum amphitheatrum, ubi pugna cum bestiis instuebatur, græce diceretur κυνηγίον & κυνηγέσιον, a loco hoc bestiarii vocati sunt: κυνῆροι, quod CAROLVS DV FRESNE *** testimoniis confirmat. Sunt, qui vocem: ἐπιθαύατος, siue ἐπιθαύάτος addunt atque arbitrantur, illam cum latinorum nomine bestiarii conuenire. Usus ista est Paullus, quando de se atque aliis legatis seruatoris dicit: δοκῶ γάρ, ὅτι ὁ Θεὸς ἡμῶν τὰς ἀποστολὰς ἐσχάτες επέδειξεν ὡς ἐπιθαύατης, i Corinth. IV, 9. Generatim vox haec significat hominem morti vicinum. SVIDAS, * explicat eam per ἀρεσθόμενον τὰς ἀποθανεῖν,

B

non-

* de venation. circ. cap. xxxi. in GRAEVII thesaur. antiquit. romanar. tom. IX. p. 811.

** libr. XIII. aduersar. cap. 23.

p. 404.

*** de modo usurarum cap. v. p. 197. fqq. et not. ad Trebellii Pol lionis Gallienos cap. XI. p. 216.

* etymolog. voc. parabola p. 428.

** adnotatio. in libr. VII. Socratis bistor. ecclef. cap. 22. p. 88.

*** lexic. antiquitat. romanar. tom.

XII. p. 30.

* not. ad Tertulliani apolog. cap.

XLII. p. 360.

** add. 10. CASP. SVICERVM thesaur. ecclef. tom. II. p. 565. JOSEPH.

BINGHAMVM origin. siue antiquitat.

ecclef. libr. I. cap. 2. §. 9. vol. I. p. 24. et

IAC. GOTHOFREDVM comment. in

codic. Theodosian. de episcop. leg. XLII.

tom. VI. part. I. p. 92. edit. RITTERI.

Alia erat ratio illorum parabolorum,

quibus traditum erat munus,

agitorum curam gerendi.

*** glossar. mediae et infim. græciatis p. 764

* lexic. tom. I. p. 808. ed. KVSTERI.

nonnulli tamen istam referunt ad græcorum et romanorum consuetudinem, qua *ἱστιθαρίαι*, siue morti destinati, bestiis obiecti sunt, ac putant, Paullum certum mortis gentis, supplicium videlicet ad bestias damnatorum, indicare. Ita inter veteres TERTULLIANVS * vocem hanc interpretatus est ac latine vertit: *bestiarios*, quem inter recentiores sequuntur atque explicationem hanc adprobant; vel ab ea non alieni sunt: HUGO GROTIUS, ** DANIEL HEINSIUS, *** IAC. ELSNERVS, * IO. CHRISTOPH. WOLEIVS. ** Nec contempnenda est haec sententia. Apostolus enim dicit: *deus nos ἀπέδεξεν*, quæ vox latine merito redditur: *edit*, ac pro hac significandi vi conuenientiam quandam habet cum ritu bestiariorum; quando autem statim subiicit: ὅτι θεάτρον ἐγενήθημεν τῷ κόσμῳ καὶ ἀγγέλοις καὶ αὐθεώποις, nam spectaculum fauci sumus mundo et hominibus et angelis, omnino spectacula eiusmodi exhibebant, qui olim in theatrum producti, supplicii causa cum bestiis depugnabant. Similiter legati diuini dicuntur *θεατρίζομενοι*, ebr. x, 33. vbi IO. MICH. DILHERRVS *** concinne obseruat: *θεατεῖσθαι* nil est aliud; quam spectaculi vice exhiberi, ut olim plectendi nocentes producebantur in theatrum, vel cum leone; vel cum urso depugnaturi; vel captiuū in triumpho circumducabantur et in varcerem, mox strangulandi, abripiebantur.

§. VI.

* de pudicicia cap. xiv. p. 731. oper. tom. II. p. 87.
 ** adnotat. in 1 Corint. IV, 9.
 *** exercitat. sacr. p. 377.
 * obseruat. sive in nov. fad. libros et disputatione academi. tom. I. p. 265.

** curia philolog. et critic. in 1 Corint. IV, 9. p. 357.

*** libr. II. elect. cap. 25. p. 242.

et disputatione academi. tom. I. p. 265.

§. VI.

Non eadem omnium bestiariorum ratio fuit. Duo præcipue illorum erant genera: alterum eorum, qui cum bestiis pugnarunt atque armis instruēti, in arenam prodierunt; alterum vero istorum, qui feris obiecti, protinus dilacerati sunt. Illi, qui cum bestiis de pugnabant, itidem erant diuersi. In certamen enim hoc venerunt vel ex aliorum; vel ex propria voluntate. Illi per mandata ad eiusmodi pugnam se contulerunt, quum vel a magistratu ad istam essent damnati; vel, postquam in seruitute adhuc fuerant, a dominis suis iuberentur, cum bestiis dimicare. Qui propria voluntate impulsi, amphitheatra adibant ac sponte sua bestiariis se adiungebant, ad tam periculosa et temeraria dimicationem commouebantur vel per gloriae atque honoris studia; vel per pecuniae cupiditatem. De diuersis his bestiariorum generibus documenta antiquitatis, antea enarrata, testantur, quibus addenda sunt, a CYRILLO Hierosolymitano* ita tradita:

μήτε τές ἐν κυνηγίοις ἑαυτός Θύροις ἐκδιδόντας,
ἴνα τὸν διθλαν κολακεύσωσι γατέρα, ὅτι, ἵνα κολάνεν τρεσοφάσις θεραπεύσουσιν, ἀντοὶ γατερός ἀπιθασσων διηθός τρεσοφάσις θησίαν, neque vero et illos admireris, qui dummodo ventri suo obsequantur, efferatis bestiis se ipsum exponunt, atque ii plerunque, quum adeo ventrem cibis curare student, ipsi contra ventris ferarum esca sunt. Spectant hæc præcipue ad eos bestiarios, qui, mercede conducti, certamen cum bestiis in se suscipiebant atque ex isto viictum; siue ad ventrem alendum necessaria quærebant; summae autem

B 2

* cætæches mystagog. i. p. 280. edit. MILLES.

tem dementiae ac turpitudinis edebant documenta. Quid enim ab hominis indole ac natura magis alienum est; quam ad mortem se vendere. **MANILIVS** * dicit:

*Nunc hominum: nunc bella gerunt violenta ferarum:
Nunc caput in mortem vendunt et funis arenæ.*

IVLIVS FIRMICVS: ** qui se ob alienæ gratiæ voluntatem nundinati, sanguinis iactura ad mortis spectaculum vendunt. De bestiariis ipsis apud veteres gentes, verorum facrorum expertes, præsertim romanos, pluribus exponunt: **ONVPHRIVS PANVINIVS**, *** **IVLIVS CAESAR BULENGERV**, * **LAEVINVS TORRENTIVS**, ** **ANDREAS TIRAQVELLV**, *** **LAVRENTIVS PIGNORIVS**, * **PETR. FABER**, ** **HENRICVS KIPPINGIVS**, *** **THOMAS MILLES**, * **SAMVEL PITISCVS**. **

§. VII.

Iam enarrata spectant præsertim ad bestiarios, qui plura numina coluerunt: speciatim ad eorum originem;

* libr. IV. astronom. v. 224. sqq.

** libr. VIII. mathes. cap. 13.

*** libr. II. de ludis circensibus cap. 4. apud IO. GEORG. GRAEVIVM tom. IX. thesaur. antiquitat. romanar. p. 413. addes que IO. ARGO-LVS ad hunc locum obseruita.

* de venatione circi cap. XXX. sqq. idem apud GRAEVIVM dictio loco p. 809.

** commentator. in Suetonii Clau-dium cap. XXXIV. p. 269.

*** not. ad Alexandri ab Alexan-

dro libr. III. genial. dier. cap. 5. tom. I. p. 587.

* de seruis p. 35.

** libr. I. semeistr. cap. 6. p. 38.

*** libr. II. antiquitat. romanar. cap. 6. §. 10. p. 382.

* not. ad Cyrrili categes. mystagog. I. p. 280.

** lexic. antiquit. romanar. tom. I. p. 273. et not. ad Suetonii Claudium cap. XXXIV. p. 707. addes IACOB.

LYDIVM agonist. sacr. p. 75.

ginem: diuersa nomina æque ac genera, quæ merito
præfati sumus, quoniam sine illis commentationis huius
argumentum nec adcurate; nec dilucide satis explana-
ri potest; iis autem expositis, nunc ad ipsos bestiarios
inter veteres christianos percensendos operam nostram
adhibemus. Isti non pugnarunt cum bestiis; sed his
obiecti fuerunt. Erant ex ordine eorum martyrum,
qui pro causa ac doctrina christi sanguinem suum ita
profunderent, ut feritati belluarum traderentur atque
ab istis dilacerati, animam deo redderent. Factos esse
martyres eiusmodi; siue bestiarios, antiquitatis ecclie-
siasticæ documenta, omni fide digna atque a nobis
postea commemoranda, abunde comprobant. His non-
nulli ipsum sacrum codicem adiungunt atque ex eo apo-
stolum Paullum, veluti bestiarium eumque ad bestias
damnatum, adferunt. Quando enim dicit: *εἰ κατὰ ἀν-*
θεωποὶ ἐθνικαὶ ἄχριστοι ἐν Εφέσῳ, τί μωι τὸ ὄφελος, εἰ νεκροὶ
ὑπὲγενονται; si secundum hominem aduersus bestias pugnauit
Ephesi, quæ mihi utilitas, si mortui non resurgunt? ¹ Corinths. XV, 32. verba haec intelligunt de bestiis, proprie-
tatis, atque existimant, Paullum vel illis obiectum;
diuinitus autem conseruatum; vel ad supplicium hoc
damnatum; vel saltem ab Ephesina plebe postulatum
esse, ut eo adficeretur, tumultu videlicet, a Luca *actor.*
XIX, 29. narrato. Ita quidem de ipsius certaminis ra-
tione dissentient; de eo tamen inter illos est consensio,
Paullum loqui de bestiis, propriæ sic appellatis. Ex in-
terpretibus his, præter alios, nominandi sunt ex nostra-
tibus: MARTINVS LVTHERVS, * IO. MICHAEL

B 3

DIL.

* comment. in 1 Corinth. xv, 32. tom. viii. oper. p. 1304. edit. PRAESIDIS.

DILHERRVS, * MICHAEL WALTHERVS, ** FRID. BALDVINVS, *** IO. KINDLERVS, * CHRISTOPHORVS SONNTAGIVS; ** ex reformatis: IO. LIGHTFOOTVS, *** HENRICVS HAMMONDV, * IO. MARCKIVS, ** IAC. ELSNERVS, *** atque ex iis, qui pontificem romanum venerantur, SEBASTIAN. NANVS TILLEMONTIVS, * AVGUSTINVS CALMETVS. ** Ad sententiam hanc probandam variis vtuntur argumentis. Summa eorum haec est: nullam esse causam, cur propria vocis θητῶν significandi vis negligi debeat: vbi ista admittatur, omnia rite inter se cohærere, quæ Paullus et ante et post memoratam historiam de pugna sua cum bestiis scripsit: aliis locis apostolum hunc idem supplicium innuerit ac tradere, quod habuerit in se ipso ἀπόφευκα τὸ θάνατον, decretum mortis, 2 Cor. 1, 9. ac deus cum ediderit ω ἐπιθανάτιον, tamquam morri vicinum, et ipse factus sit veluti spectaculum, 1 Corinth. 4, 9. Addunt, per sequitiam hominum paganorum facile fieri potuisse, vt Paullus Ephesi ad Θρησκευματίαν sit damnatus: NICEPHORVM *** pugnam hanc Paulli commemorare, ac quamvis scriptor hic non

* tom. I. disput. academicar. p. 262.

** barmon. biblic. p. 709.

*** comment. in 1 Cor. x, 32. p. 517.

* differt. de Θρησκευματίᾳ Pauli, quæ in MENTHENII thesaar. theolog. p̄bliolog. tom. I. p. 574. extat.

** differt. de Aſtarchis §. xvii. sqq. p. 19.

*** horis ebr. in epistol. ad Corinth. tom. VI. aper. p. 923.

† adnotatio. in 1. epist. ad Corinth. p. 19.

xv. 32. tom. II. nou. testim. p. 196.

** ſyllag. differentiation. num. xxi.

*** observation. facr. in noui ſedev. libros tom. II. p. 131.

* memoir. pour ſervir à l'hiſtoire ecclſiaſt. tom. I. part. 2. p. 826.

** prolegom. et dissertationum in ſcriptura libros tom. II p. 458. edit. latina, quam I.O. DOMINICO MANSI debemus.

*** libr. II. hiſtor. ecclſiaſt. cap. 25.

non singulari fide atque auctoritate valeat; ex eo tamen haud sequi, eum non alia; nisi fabulosa, litteris consignasse: immo Lucam ador. xix. tumultum, Ephesi concitatum, ita enarrare, ut haud obscure significet, quo tempore quae occasione Paullus ad bestias sit damnatus. Sed tamen ultimum hoc argumentum, non omnes, qui adfirmant, apostoli pugnam cum bestiis proprie intelligendam esse, adprobant ac recte perspiciunt, ea, quæ Lucas de turbis Ephefinis referat, post priorem ad Corinthios scriptam epistolam contigisse.

§. VIII.

Rationes has, quibus sententia, Paullum loqui de certamine cum bestiis, proprie sic dictis, nititur, non penitus contemnendas esse, fatemur. Nec tamen negamus, eos grauioribus instructos esse argumentis, qui metaphoricam instituunt interpretationem et per bestias, contra quas Paullus dimicauerit, homines ferinos intellegunt. Quæ in illis eminent, tria sunt. Primum sumum est a ciuitate Paulli romana, cuius id quoque erat ius ac priuilegium, ut ista donati per leges Porciam et Semproniam a seruili supplicio essent liberi, quemadmodum CICERO * dicit: *Porcia lex virgas ab omnium ciuium romanorum corpore amouit*; LIVIUS: ** *Porcia lex sola pro tergo ciuium lata videtur, ac Cæsar apud SALUSTIVM: *** quamobrem in sententiam non addidisti, vi prius verberibus in eos animaduerteretur? an quia lex Porvia vetat?* Iure hoc Paullus usus est ac bis ad ciuitatem suam.

* Rabirian. cap. IV.

** libr. x. cap. 9ⁱ

*** bell. Catilinar. cap. I.

suam romanam prouocauit: primum Philippis, postquam virginis iam cælus erat, *auctor. XVI*, 37. et iterum Hierosolymis, quum flagella corpori eius admoueri deberent, *auctor. XXII*, 25. Vt autem haud licebat, ciuem romanum virginis ac flagellis cädere; ita nec fas erat, eum bestiis obiicere. **EUSEBIUS*** auctor est, quod in tempestate, aduersus christianos sub Marco Aurelio Antonino concitata, illis, qui ciues romani fuerint, mitior; aut minus ignominiosa pena inflicta sit, his verbis: ὅσοι μεν ἐδόκεν πολιτείαν Ρωμαίων ἔσχηκέναι, τάτου ἀπέτεμνε τὰς κεφαλὰς, τὰς δὲ λοιπὰς ἐπεμπεν εἰς θύρας, quicunque ciues romani reperti sunt, capite truncati; reliqui vero traditi sunt bestiis. Imperatores quidem iura hec interdum violarunt, vt **SVENTONIVS**** testatur, Caligulam id fecisse: equitem, inquit, obiectum feris, quum se innocentem proclamasset, reduxit, absissaque lingua, rursus induxit. Sed praefidibus prouinciarum minoribusque magistratibus haud erat permisum; multo minus plebi, vt priuilegia ciuiis romani infringerent; aut quidquam illis aduersum susciperent. **PLINIVS***** ad Traianum scriptis: fuerunt alii similes amentie, christiani videlicet, quos, quia ciues romani erant, adnotauit in urbem remittendos, id quod haud obscure significat, praesides nullum ius habuisse, ciuem romanum ad bestias dammandi, et vbi hoc per populi furorem et mala animi studia fecerint, minus peractum esse, quod fuerat decretum. Ex omnibus his merito conficiendum est, Paulum, quum ciues romanus fuerit, ad bestias haud

* *libr. v. histov. ecclesiast. cap. I.*
** *vij. eius cap. XXVII. §. 2.*

*** *libr. x. epistol. 97.*

haud debuisse damnari; nec verisimile est, factum omnino esse tale decretum idque contra leges. Qui hoc adfirmant, nullum testimonium: nullum aliud argumentum ad sententiam probandam adferre posunt. Nec est, quod ad populi furorem prouocent ac suscipientur, per illum fortasse contigisse, ut Paullus ad bestias sit condemnatus, quoniam etiam contrarium hac ratione licet coniicere. Id, quod fieri potuit, verisimili non est opponendum.*

§. IX.

Accedit argumentum secundum, ab vsu vocis bestiarum petitum. Hanc enim de hominibus malitiosis atque impiis, qui moribus suis feras imitantur, figurate usurpari, plura testimonia scriptorum sacrorum atque ecclesiasticorum æque ac profanorum luculenter monstrant. Sic Paullus Cretenses adpellat *κανὰς θηρία*, *malas bestias*, *Tit.* I, 12. falsos apostolos *canes*, *Philipp.* III, 2. Ioannes baptista Phariseos et Sadduceos progeniem viperarum, *Marth.* III, 7. cuius generis exempla etiam in libris prioris federis habentur. Ibi enim Aegyptii dicuntur *bestie meridiei*, *Iesai.* XXX, 6. *bestia arundinis*, *psalm.* LXVIII, 31. Babylonii *fera mala*, *Ezech.* V, 17. adde *psalm.* X, 8. 9. *proverb.* XXVIII, 15. *Iesai.* LVI, IO. II. Diviniorem hanc loquendi rationem etiam patres sacri

C

ordi-

* de ciuitate Paulli romana legendi sunt: IO. MICHAEL DIL-
HERRVS disputat. academic. tom. I.
CHRISTOPH. CELLARIUS p. 235. SALOM.
DEYLINGIUS part. III. obseruat. facr. p. 303. EZECH. SPANHEMIVS
orb. roman. exercitat. I. cap. 16. p. 94.
HERMANN. WITSIVS meletemat.
Leidenf p. 4. NATHAN. LARDNE-
RVS fid. bistor. euangel. p. 393. sqq.
atque alii.

ordinis adhibuerunt. IGNATIVS * eos, qui adfrimant, christum tantum corporis simulacrum sibi iunxisse, vocat *feras*, humanam formam p̄ se ferentes, quo modo etiam CHRYSOSTOMVS ** de virtutis atque philosophia christiana inimicis loquitur ac pronuntiat, illos esse θηρία καὶ τέρατα ἀνθρώποις, LACTANTIVS *** autem Neronem, Diocletianum et aliós, qui christianos maxime vexarunt, modo *exsecrabilia* ac *nefaria animalia*; modo *malas bestias* adpellat atque Paulum imitatur, qui dicit, se liberatum esse ex leonis, siue, ut verisimile est, hostium suorum, ore, 2 Timoth. IV, 17. * Nec in eorum scriptorum, quos *vetus Gracia et Latium* tulerunt, monumentis desunt testimonia, ad probandum idonea, malos homines cum bestiis comparari. Luculentum est effatum, quod ARRIANVS ** ita scriptum reliquit: ὅτι μὲν οὐδὲν περιάλληλα θηρία εἰσίν, ὅτι δὲ θηρία κακόθεν καὶ μηδὲ, alii quidem nostrum magnae bestiae sunt; alii vero bestiolæ malitiosæ et paruae. IVLIVS POLLVX *** dicit: Θηρίων μάλλον, ἢ ἀνθρώπων πόλις, ferarum magis; quam hominum urbs, eademque forma DEMOSTHENES, PLVTARCHVS atque alii videntur. Ex latinis PLAVTVM ac CICERONEM nominasse sufficiat, quorum

* epistol. ad Smyrnæos §. 4.

** libr. I. aduers. vituperat. vita monastice cap. 2.

*** de mortibus persecutorum cap.

II. IV. IX. XVI. et aliis locis: adde-

que STEPH. BALVZIVS, ET GISEBRT. CUPERVS not. in cap. II. p. 22.

et 127. edit. BALVDRI obseruarunt.

* plura generis huius testimonia

percepserat CONRAD. RITTERSHUS-
SIVS libr. IV. sacrar. lection. cap. 9.
p. 274. cui iungendus est IO. CASP.
SVICERVUS thesaur. ecclesiast. tom. I.
p. 399.

** libr. II. commentar. in Epistol.
cap. 9.

*** libr. IX. onomast. cap. 4. part. II.
p. 991. edit. HEMSTERHVISIV.

quorum ille, * mala, inquit, tu es bestia; hic ** autem: dixi pro bestia de ambitu apud pretorem Cn. Domitium, in foro medio: maximo conueniu. *** Non solum autem ipsi effrenati homines θηρία, siue bestiæ, sunt appellati; sed etiam illi, qui cum istis agebant ac malitiæ eorum resistebant, θηριομάχαιν diccebantur. Testatur hanc in rem satis perspicue IGNATIUS, quando ad Romanos ita scribit: * από Συρίας μέχρι Ρώμης θηριομάχων διὰ γῆς καὶ θαλασσῶν, νοτίος καὶ ἱμέρας, δεδεμένος δύνα λεωπάρδοις, οἳ εἰνι σφραγιστῶν τάγμα, οἱ καὶ ἐνεγερθεῖσιν χέρες γίνονται ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μάτιον μαθητεύουσαι ἀλλὰ παρὰ τέσσο δεδικασθαι, a Syria Romam usque terra marique, noctu et interdiu cum bestiis pugno, decem leopardis vinctus, quæ est militum turma, qui etiam beneficio accepto peiores fiunt. Verum illorum iniurijs magis erudior; sed non propter hoc iustificatus sum. Quæ quum ita sunt, verbis Paulli, quibus pugnæ suæ cum bestiis meminit, nulla vis infertur, ubi ista figurata explicantur; si autem quæris: quales fuerint homines isti Ephesini, quibuscum apostolus sit congressus? num iudei? an pagani homines? id non liquet. Ad utrosque vox θηρία referri ac commode de illis intelligi potest. Adolescentes Ephesios tauros vocatos esse, ATHENAEVS ** ita tradit: ταῦρα Εφεσίους οἱ ὄνοχοις τοῖς ηθοῖς τῇ τε ποσειδῶντος ἰοτῆν, ταῦροι εκαλέοντο, apud Ephesios adolescentes, qui festo Neptuni die vinum ministrabant, tauri nuncupabantur.

C 2

§. X.

* Bacchid. act. 1. scen. I. v. 21.

** libr. II. epistol. 3. ad Quint.

fratrem.

*** adde CASPAR. BARTHIVM

libr. XLIII. aduersar. cap. 20.

p. 1966.

* epistol. ad Roman. §. 5.

** libr. x. deipnosoph. p. 425.

§. X.

Argumentis duobus additur *tertium*, quod scriptorum silentio de Paulli pugna cum bestiis, proprio dictis, nititur. Tacer de ea Lucas in *actis*, qui quum alias res apostoli huius diligenter persequutus fuit, non credibile est, eum certamen hoc, maxime memoria dignum, praetermississe silentio, vbi id re ipsa contigerit. Tacet ipse Paullus, qui quamuis ² *Corinth.* xi, 23. sqq. pericula et miseras suas vberius percenseat; pugnæ tamen huius nullam fecit mentionem; quis autem sibi persuadeat, illum, minores suas calamitates distinet atque expresse enarrando, hanc, multo grauiorem ac præ reliquis insignem, omittere voluisse, si ista omnino adflitus fuisset. Silent hac de re scriptores ecclesiastici, qui in commemorandis factis apostolorum ac veterum christianorum studia sua postuerunt; nec est, quod NICEPHORVM producas atque ex eo historiam de Σηριουπαχίᾳ Paulli, propriè sic appellata, recensem. Constat enim, auctorem hunc inter testes, fide conspicuos, nullum obtinuisse locum ac quæ de Paulli certamine tradiderit, ex motimento adulterino sumfisię. Rationes, quæ nunc a nobis enarratae sunt, multos eruditissimos viros ad id adduxerunt, vt Paulli pugnam cum bestiis figurate explicarent. In illis sunt ABRAH. CALOVIVS, * SALOM. GLASSIVS, ** SALOM. DEYLINGIVS, *** IO. HENR. MAIVS, * IO. GOTHOFRED. LACKEMACHERVS, ** IO. CHRISTOPHOR. WOLFIVS. *** Præter hos, sen-

ten-

* *bibl. illustrat. nou. testim. tom. II.
Pl. 403.*

** *philolog. sacra. p. 1769.*

*** *part. 1. obseruat. sacra. p. 177.*

* *libr. 1. obseruation. sacra. p. 62.*

** *part. 11. obseruat. philolog. p. 192.*

*** *cur. philolog. et critic. in IV.
prioris Paulli epistol. p. 546.*

tentiam hanc adprobarunt: HENR. KIPPINGIVS,^{*}
 IO. CASP. SVICERVS,^{**} DANIEL HEINSIVS,^{***}
 HERMANN. WITSIVS,^{****} SAM. BASNAGIVS,^{**}
 quibus BARONIVS^{***} addi potest. Nec inter veteres
 defuerunt, qui idem sentirent. * Pro hac interpreta-
 tione Paullus bestiariis haud adiungendus est.

§. XI.

At vero, licet Paullus haud factus fuerit bestia-
 riis; nec hoc ex 2 Timoth. iv, 17. probandum sit;
 monumenta tamen ecclesiastica exhibent antiquiores
 christianos, qui bestiis sunt obiecti. De his nunc
 dispiciendum est, eo ordine, ut primum *caussas* per-
 censeamus, propter quas veteres christi cultores be-
 stiis traditi fuerint. Erant illæ vel *generales*, propter
 quas omnes christiani variis ac diuersis suppliciis sunt
 adfecti; vel *speciales*, ob quas speciatim nonnulli be-
 stiarum saevitiae exhibebantur. Ille præcipue proue-
 niebant ex magno odio, quod gentes profanæ erga san-

C 3. Etissi-

* libr. II. antiquitat. romanar.
 cap. 6. §. 10. p. 383.

** tom. I. thesaur. ecclesiast. p. 1399.
 et in supplementis nouæ editionis
 tom. II. p. 1626.

*** exercitat. sacr. p. 413.

* meletemat. Leiden. p. 128.

** tom. I. annal. politic. ecclesiast.
 p. 666.

*** annal. ad ann. chri. LV. num. 6.
 p. 422.

* TERTULLIANVS bestias Ephesi-
 explicat per bestias prefuisse Asiatice,
 de qua Paullus 2 Corinth. I, 8. scripsit.

rit: nolamus, vos ignorare, fratres,
 quanta afflictione et quam omnino vi-
 tribus nostris maiore pressi fuerimus in
 Asia, vsque adeo, ut etiam de vita
 dubitaremus, de resurrectione carnis
 cap. XLVIII. THEOPHYLACTVS per
 pugnam cum bestiis intelligit: την
 πόσις Ιωάννης καὶ Δημήτριος τοῦ ἀργυ-
 ρεκοτοῦ μαχηνή, contentionem adver-
 sus iudeos et Demetrium argentarioum,
 comment. in 1 Corinth. xv, 32. p. 304.
 sed haec chronologice repugnare, iam
 ante obseruauimus.

Etissimam religionem nostram conceperant. Quum enim plurium deorum cultores intelligerent, christianorum sacra maxime distare ab iis, quibus ipsi erant adicti, ac insigne discriminis in doctrinis ac ritibus adesse; quum porro praeuiderent, vbi christi doctrina ac disciplina per populos propagaretur, superstitionis sacris paullatim extirpatis, sacerdotibus, auguribus atque aliis generis huius hominibus: item mercatoribus atque episcopibus in posterum multis honoribus ac commodis carendum esse, non solum iudicarunt, christianorum religionem esse falsam; sed etiam in tantum erga illam odium venerunt, ut id vaice sint meditati, quomodo eam penitus euerterent. Ut autem crudelitati, qua in christi sectatores leuierunt, speciem quamdam conciliarent iisque maiorem concitarent inuidiam, turpissimam calumniandi libidinem prodiderunt atque impudentissima mendacia disseminarunt, nunc de christianorum doctrina, eam esse nouam: ex poetarum lacunis sectisque philosophorum atque ex iudaorum praeceptis haustam: nunc de eorum institutis sacris, esse illa cum summa impierata coniuncta: nunc demum de vita et moribus, christianos nullum deum colere atque esse in culpa nefandorum criminum, magiae, factionum, laeuae maiestatis, epularum Thyestearum, artium sordidarum atque aliorum; propter haec autem etiam malorum ac calamitatium publicarum. Satis perspicue hoc patet ex eorum libris, qui etate ista pro christianis pugnarunt atque *apologias* in lucem ediderunt, ut ATHENAGORAS, IUSTINVS martyr, TERTULLIANVS atque alii; ex recentioribus autem in argumento hoc explanando versati sunt; CHRISTIAN. KORTHOL. TVS,

TVS, * THEODORIC. RVINARTVS ** et GOTLOB.
FRIDERIC. GVDIVS. ***

§. XII.

Caussæ speciales; sive propriæ, spectant tantum ad eos, qui bestiis traditi sunt. Erant illæ singularia crimina, quorum christiani accusabantur et, quemadmodum verisimile est, decreta siebant, ut illi bestiarum saeuitiam experientur. In istis locuntur habebat sacrilegium, cuius culpam in christianos esse translatam, testatur TERTULLIANVS * his verbis: *tamen nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto unquam deprehendistis, ne dum in sacrilegio; alio autem loco* ** dicit: *omne, quod contra naturam est, monstri meretur nomen penes omnes; penes nos vero erat elogium sacrilegii in deum, naturæ dominum et auctorem, item:* *** *quando de aliquo nocente cognoscitis, non statim confessio eo nomen homicidie; vel sacrilegi; vel incesti; vel publici hostis, ut de nostris elogiis* * *loquar, contenti sitis ad pronuntiandum.* Quum igitur

* in pagano obiectatore; sive de calumniis gentilium in veteres christianos, libris IIII, Kilon. ann. MDCXCVIII.

** prefat. actorum primorum martyrum §. LX. p. 70.

*** prefation. libri de pagano christianorum laudatore et fauatore. Nonnulla alia generis huius scripta recenser venerandus PRAESES bispor. eccles. nou. testam. secul. I. cap. 4. seqq. 2. §. 5. p. 537.

* ad Scapulam cap. II. p. 85. oper.

** de corona cap. V. p. 123.

*** apologetic. cap. II. Eiusdem libri capite x. dicit: *sacrilegii et maiestatis rei conueniuntur, ubi legenda sunt, quæ SIGISM. HAVERCAMPUS p. 108. obseruat.*

* voce hac TERTULLIANVS sepe vtitur significacione judiciali breuiore explicatione; sive indice delisti, contra quod in indicio latuerat sententia; aut adhuc ferri debebat. Moris enim erat, ut iudices nominibus damnatorum, quæ principibus exhibebant, breuem scriptu-

igitur christi sectatores sacrilegis adscriberentur, dannati illi sunt ad bestias, pro more, apud gentes superstitionis recepto, quas rerum sacrarum fures eiusmodi supplicio adfecisse, ex hoc VLPIANI * effato colligendum est: *sic, multos ad bestias damnasse sacrilegos.* Non solum autem sacrilegi; sed etiam magie veteres christiani adscusati fuerunt. Tantæ malitia atque impudentia locum relinquebant plurium numinum cultores, ut fingerent, seruatorem nostrum non diuina; sed m-

gica

scripturam adderent eaque indicarent, quorum potissimum criminum illi essent rei, eum in finem, ut vel absolutio; vel condemnatio fieret; aut haec confirmaretur. Scriptura haec elogium dicebatur. Pater hoc ex TERTULLIANO eiusque non solum iam enarratis; sed alii quoque locis. Dicit enim: *pudens etiam ad se christianum in elogio, confessum eius intellecta, dimisit, scissi eodem elogio, fine adscutore negans, se auditurum hominem,* libr. ad Scapulam cap. IV. alio autem loco: *immortam ne ipsis quidem caussis adscribendum est fallacie elogium, de anima* cap. XVII. Similia testimonia apud auctores profanos habemus. SVENTONIVS: *custodiarum seriem recognoscens, nullius in specie elogio, flamus tantummodo intra porticum medium, a calvo ad calvum duci, imperavit,* vit. Caligul. cap. XXVII. AMMIANVS MARCELLINVS dicit: *ideoque feratur imperator Constantius, neminem aliquum ob haec; vel similia pœna addicatum, oblato de more elogio, reuo-*

cari inffisse, libr. XIV. cap. 5. Apud VULCATIVM GALLICANVM vit. Auidii CASSI cap. XIV. hæc litteris mandata sunt: *wides, multis opus esse gladiis, multis elogis;* ut in antiquum statim publica forma reddatur. Reliqua testimonia, in antiquorum scriptorum monumentis consueta, taciti præterimus ac qui plura de argumento hoc desiderat, illi ex recentioribus euoluendos commendamus: ADRIAN. TURNEIVM libr. XVIII. aduersor. cap. 5. p. 532. HERM. HYGONEM de prima scribendi origine cap. XXXI. p. 385. sq. edit. TROTZII, que Traj. ad Rhen. ann. M DCC XXXVIII. in lucem prodidit: CASP. BARTHIVM libr. IV. aduersor. cap. 18. p. 195. VALESIVM not. ad Annuationem Marcellini. diff. loc. p. 19. edit. GRONOVI; preter hos autem SAMVEL. PITISCVM lexic. antiquitat. romanar. tom. II. p. 86. et SIGEBERT. HAVERCAMPVM not. ad Tertulliani apologetic. cap. II. p. 22. * 1. 6. dig. ad legem Iuliam peculatus et de sacrilegiis.

gica virtute miracula fecisse ac libris, de magia editis, discipulos suos artes illius docuisse. De eo haec prouniciata esse: *magus fuit: clandestinis arribus omnia illa perfecit: Aegyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina et remotas furatus est disciplinas*, perhibet ARNOBIVS.* Librorum magicorum, quos, Petro ac Paullo inscriptos, christum edidisse, mentiebantur, AVGVSTINVS** meminit aliquis *** easdem calumnias, in seruatorem atque amicos ac sectatores eius coniectas, commemorant. Dicebantur eam ob rem *malefici*, id est, incantatores, rerum magicarum studiosi, venenarii, ut CASP. BARTHIVS* vocem hanc non male interpretatur. SYETONIVS** refert, *Neronis auctoritate suppliciis adfictis esse christianos, genus hominum superstitionis nouæ ac maleficæ, et apud SVIDAM*** Anastasia martyr ad Chrysogonum scribit, se, tamquam beneficam et sacrilegam, in grauissimum carcerem coniectam esse*, quam in rem GEVERH. ELMENHORSTIYS,* CA-SPAR SAGITTARIVS,** CHRISTIAN. KORTHOLTVS*** et SAM. PITISCVS* plura edisserunt. Ex

D

crimi-

* libr. I. aduers. gentes p. 25.

** libr. I. de confess. euangelist.

cap. 9. et 10. tom. III. oper. part. 2.

p. 6. edit. Benedictin. Antwerp.

*** Ex græcis IVSTINVS martyris,
ORIGENES, EVSEBIUS, ATHANASIVS;
latinis vero TERTULIANVS,
LACTANTIVS atque alii,
qui non solum calumnias has
morarunt; sed etiam studia sua ad
illas grauiter refellendas adhibue-
runt.

* aduersar. libr. V. 11. cap. 17. p. 397.

libr. X. cap. 6. p. 569. libr. XI. V. cap. 24;
p. 2111. et libr. LVII. cap. 19. p. 2716.

** vit. Neron. cap. XVI.

*** lexic. VOC. Xp̄ov̄oȳōes, tom. III.

p. 692. edit. KVSTERI.

* obseruationib. in libr. I. Arnobii
p. 40.** libr. de martyri. cruciat. in pri-
mit. eccles. cap. IX. §. 7. p. 92.*** libr. III. pagan. obrectat cap. 4.
p. 474.

* not. ad Suetonii vit. Neronis cap.

XVI. tom. II. p. 754.

crimine hoc, cuius christiani insimulati sunt, gens superstitiosa, vt videtur, itidem singularem caussam sumvit, eos ad bestias damnandi, quoniam supplicium hoc iis decernebatur, in quibus magicarum rerum culpa inerat. Testis est PAVLLVS * iureconsultus ac quae iam dicta sunt, ita confirmat: *magicæ artis consciens summō supplicio adfici, placuit, id est, bestiis obiici; aut cruci suffigi.*

§. XIII.

Sed vti gentes, verorum sacrorum expertes, homines infimæ conditionis ac seruos, eosque flagitiosissimos ac maxime desperditos, ad bestias damnarunt; ita aduersus christianos idem decretum factum est, non solum propter singularia crimina; verum etiam quia plebi profligatissimæ adiungebantur. Reete illud obseruat ALEXANDER AB ALEXANDRO: ** *ad bestias, inquit, damnabantur nequissimi serui; aut hostes infelissimi, plerunque homines perniciosi et immanes, qui ob multiplicia crimina desefctionesque indigni venia fuere, quibus in theatro, ut cum immanissimis belluis depagnarent, negotium datum est;* hoc autem, quod ad christianos spectat, itidem ex antiquorum auctorum documentis, fide dignis, constat. Illi sane tam abieeti, contemti et despiciendi erant apud superstitione religioni addictos, vt, solo christianorum nomine auditio, statim iudicarent, eos belluarum immanium crudelitate dignos esse. TERTVLLIANVS *** auctor est, quod existimauerint, esse christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum,

* Libr. v. receptar. sentent. §. I. *** apologet. cap. II. p. 32. edit. HAA.
** libr. III. genial. dierum, cap. 5. VERGAMPL
sqm. I. p. 587.

legum, morum, naturae totius inimicum, quodue solum nomen exprobrauerint, ybi criminis adcausatio haud fuscipienda erat, ac dixerint: *bonus vir Caius Seius, tantum quod christianus.** Romani vſu et more receptum habebant, vt damnatis tabula præferretur; vel adpendetur, in qua eorum cauſſa ac crimina ſcripta atque indicata erant, *titulus* adpellata, quemadmodum SVENTONIVS** teſtatur et de imperatore Caligula hæc percenſet: *Rome publico epulo ſeruum, ob derracum letriſ argenteam laminam, carnifici confeſſim tradidit, ut manibus abſcisſis otque ante peſtus e collo pendentibus, præcedente titulo, qui cauſſa poena indicaret, per cætus epulantium circumducere-* tur; alio autem loco *** de Domitiano refert: patremfa- milias, detraectum ſpectaculis in arenam, canibus obiecit, cum hoc titulo: *impie loquutus parvularius,** At vero si christianus quis trahebatur ad ſupplicium, morem hunc non eo modo, quo alias ille ſeruari ſolebat, romani fe-

D 2

que-

* ibid. cap. III. p. 37. adde CHRISTIAN. KORTHOL TVM libr. III. pagan. obtreclat. cap. 18. p. 711.

** vit. Caligul. cap. XXXI. §. 5.

*** vit. Domitian. cap. x. §. 3.

* Quum vox *titulus* de damnatis usurpatur, significat illa nunc ipsam tabulam: nunc inſcriptionem eius; aut rem ita indicatam. Ita Pilatus titulum cruci, in quam ſeruator noster ſublatus erat, adixit ac cauſam damnationis et ſupplicii ſignificauit: ἦγαρ δὲ καὶ τίτλος ἐπιτάφιος, καὶ θάνατον τὸν ταυτόν τίτλον τὸν γενεράτορον Ἰησοῦς οὐδὲ τὸν ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ οὐδὲ βΑΣΙΛΕΥΣ τὴν ΓΟΥΔΑΙΩΝ, dicit Iohannes XIX, 19.

Quod apostolus hic τίτλον adpellauit, id Mattheus XXXVII, 37. ἀπόλ. Mar- cus XV, 26. ἵντηρας τῶν ἀπόλ. et Lucas XXIII, 38. ſimpliciter ἴντηρας φέν. vocant. Plura de hoc veterum romanorum ritu habent: IVSTVS LIPSIUS libr. II. de cruce cap. II. tom. III. oper. p. 1187. PETR. FABER libr. II. ſeneca. cap. 8. p. 101. HONO- RAT. NIQVETVS de titul. crucis p. 128. CLAVD. SALMASIUS de modo uſurar. p. 675. ANTON. BY- NAEVS de morte iefu christi libr. III. cap. 6. p. 309. SAM. PITISCUS lexic. antiquitat. romanar. tom. III. p. 606, atque aliis.

quebantur; sed sufficere, arbitrabantur, quando fieret manifestum, condemnatum esse christianum.

§. XIV.

Quæ iam diximus, satis sunt firma et testimonii scriptorum ecclesiasticorum, auctoritate ac fide conspi cuorum, nituntur. TERTULLIANVS * dicit: *quid de tabella recitatis illum christianum? cur non et homicidam?* In nobis solis pudet; aut piget, ipsis nominibus scelerum prounitiare: *christianus, si nullius criminis reus, nomen valde infestum, si solius nominis crimen est.* EVSEBIUS ** refert, christianum quendam, cui nomen Attalus fuit, ad bestias damnatum atque tabulam ipsi prælatam esse, in qua nihil aliud scriptum fuerit, quam quod christianus sit. Verba eius hæc sunt: καὶ περιαχθεὶς πύκλῳ τῷ ἀμ φιθετέρῳ, τίνακος ἀντὸν προσάγοντας, ἐν ᾧ ἐπεγέγεντο πο μαιτὶ θτος ἐξ Ἀτταλος ὁ χριστιανός, quumque per amphitheatrum circumduceretur, præcedente ipsum tabella, in qua Latino sermone inscriptum erat: *bic est Attalus christianus.* Præter hæc, suppetunt alia testimonia, ex quibus lucu lenter videndum est, christi cultores confessim, si modo, se christianos esse, confessi sunt, ad bestias pronun tiatos fuisse, imprimis apud EVSEBIVM. *** Quum enim epistolam martyrum Viennensem et Lugdunensem exhibet, ibi de Vettio Epagatho hæc narrantur: τῶν δὲ τερεὶ τὸ βῆμα καταβοσάντων αὐτῷ καὶ γὰρ ἦν ἐπίση μος, καὶ τῷ θύγεμονος μηδ ἀνασχομένη τῆς θτως ὑπ' αὐτῷ δι καίς προταθέσιν αἰχμώσων, ἀλλὰ μόνον τέτο πυθομένς, εἰ καὶ αὐτὸς εἴη χριστιανός; τῇ δὲ λαμπροτάτῃ φωνῇ ὄμολογόσαν τος

* apologeticus cap. 11, p. 75.

** lib. v. bīb. ecclesiast. cap. 1, p. 162.

*** ibid. p. 156.

τοις, ἀνελήφθη καὶ αὐτὸς εἰς τὸν κλῆρον τῶν μαρτύρων, verum quum illi, qui circa tribunal adstabant, aduersus eum inclinassent, erat quippe inter suos clarus, et præses ipse petitio nem, alioqui iustissimam, agre ferret, idque unum ex eo que reret: effetne christianus? ille, christianum se esse, clarissima voce professus, in martyrum numerum relatus est. Idem* non solum de Bibliade, vxore quadam, hæc memoriae prodidit: καὶ ἀπὸ τοῦ δὲ χριστιανὸν ἔστην ὄμολόγει, καὶ τῷ κακῷ τῶν μαρτύρων ωροσεῖθη, abbinc christianam se esse, confessā in consortium martyrū relata est; sed etiam ad didit: ** ἐλέος οἱ μὲν ὄμολογοῦντες, ὁ καὶ ἡσαν, συνειλέσοντο ὡς χριστιανοί, πιθεριάς ἀλλας αὐτοῖς ἐστι φερομένης, verum illi quidem, qui sese id, quod reuera erant, esse profiteban tur, tanquam christiani coniiciebantur in vincula, nullo alio crimen ipso obiecto: nec multo post *** de Alexandro quodam, quem præses: quisnam esset? interrogavit, dicitur: τοῦ δὲ Φίσαντος, ὅτι χριστιανός, ἐν ὥρῃ γενομένος, κατέκρινεν αὐτὸν πρὸς θρησκίαν, qui quum, christianum se esse, dixisset, iratus index eum ad bestias damnauit. Ex his verbis id quoque patet, christianos, postquam solum eorum nomen auditum fuerit, ad bestias condemnatos esse.

§. XV.

Quum gentis superstitione atque in ista præsertim plebis, tanta esset peruersitas, ut ex spectaculis speciatimque ex certaminibus cum bestiis singularem caperet voluptatem, ex detestabili hac cupiditate, si non cauſa; occasio tamen enata est, christianos bestiis obliicien-

D 3

* ibid. p. 159.

*** p. 163.

** p. 160.

30 DISSERTATIO DE BESTIARIIS

iiciendi. Instituerunt adclamations iisque christi ad seclas ad supplicia petierunt, quæ interdum tanti fuere ponderis, vt voluntati eorum fieret satis, et propter ilias christianæ professionis homines grauiter vexarentur. Colligendum id est ex imperatoris Adriani edito, * quod ad Minucium Fundanum, Asiae præsidem, misit de christianis, haud trahendis ad supplicia, nisi antea criminis cuiusdam conuicti fuerint. Ibi enim præter alia, etiam hæc præscripta sunt: *si prouinciales palam adeſſe possunt petitionibus suis aduersus christianos, ita ut pro tribunali respondeant, in id vnum incumbant; nec petitionibus solisque clamoribus vtantur.* Erenim multo iuſtius fuerit, cognoscere te, si quis accusare voluerit. Quales adhibitæ fuerint adclamations, ex antiquitatis ecclæſtaſtice monimentis discimus. Præ aliis, hæc maxime erat vſitata: *christianos ad leonem;* siue *ad leones,* quam TERTULLIANVS ** ita memorat: *si Tiberis adſcendit in mœnia;* *si Nilus non adſcendit in arua;* *si cœlum sterit;* *si terra mouit;* *si fames, si lues, statim christianos ad leonem;* alio autem loco *** dicit: *popularium catu clamente, christianos ad leonem.* Eandem formulam paullo aliter exprimit, quando scribit: * *ne non sint, qui adclament: christianis leonem.* Nonnumquam genera-

tim

* EVSEBIUS editiſtis huius, quod latine compositum est, grecam interpretationem exhibet libr. IV. biſtor. ecclæſtaſt. cap. 9. Exponunt de eo: FRANC BALDVINVS comment. ad edita veter. princip. romanor. de christian. p. 73. CHRISTIAN KORT. HOLTUS de perſequitionibꝫ ecclæſt. princip. cap. IV. ſ. 4. ſqq. p. 104. 10.

ALB. FABRICIVS ſolitar. luc. euangelii cap. VII. p. 138. et GOTTLOB. FRIDERICVS GVDIVS pagan. christianor. laudator. et faut. p. 96.

** apolog. cap. XL. p. 338.
*** libr. de refuſione carnis cap. XXII. p. 395. oper.

* de exhortatione caſtitatis cap. XII. p. 671.

tim tantum adclamarunt: *christianos ad bestias*, quod ex his TERTULLIANI * veribus constat: *deo, si de crimine veritate constaret, ipsa criminum nomina damnatis accommodarent, ut ita pronuntiaretur in nos, illum homicidam; vel incestum; vel quodcumque iactamur, duci, suffigi, ad bestias dari placet.* EVSEBIUS ** refert, vniuersam multitudinem post Polycarpi martyris interitum repente adclamare cœpisse: *tolle atheos, ac TERTULLIANVS*** hanc recenset formulam: non licet esse vos, quo et haec: christiani tollantur: christiani non sint, spectant. Furor paganorum hominum tam effrenatus fuit, vt quum faciueretur in christianos, nullus fere transferit dies, quo christianos ad feras per adclamationes non postulasent,* cuius rei testem habemus itidem TERTULLIANVM, * qui scribit: *odisse debemus istos conuentus et cœtus ethnorum, vel quod illic nomen dei blasphematur: illic in nos quotidiani leones expostulantur.* Confirmat hoc LACTANTIUS, ** quando de Maximiano haec tradit: *nulla pena penes eum leuis: non insulæ, non carceres, non metalla; sed ignis, crux, feræ in illo erant quotidiana et facilia.* Propter adclamationes iam enarratas nomen depositulatorum; sive flagitatorum christianis tributum esse, ex TERTULLIANO *** adparet, qui nec ulli magis, inquit, depositulatores christianorum; quam vulgus, idemque ex CYPRIANO * colligi potest, quando scribit: *nec me in conspectum publicum, et maxime eius loci, ubi toties flagitatus er quæsus fuissim, temere committerem;*

* Libr. I. ad nationes cap. 3. p. 47.

** de mortib. persecutor. cap. XXII.

** hist. eccles. libr. IV. cap. 15. p. 129.

*** apolog. cap. XXXV. p. 300.

**** apologet. cap. IV. p. 43.

* epist. XIV. p. 191. oper. edit. FELLI

* de spectac. cap. XXVI. p. 101. oper.

Amstelodam.

terem; alio vero loco * haec habet: *quum me clamore
violentio frequenter populus flagitasset: adde FRANCISC.
BERNARD. FERRARIUM.* **

§. XVI.

Quamuis adclamationes haec contra omnes christianos cuiuscumque ordinis, conditionis, generis, extat� fierent; praeципue tamen pagani homines vexarunt episcopos et alias ordinis sacri viros, in persuasionem induiti, se pastoribus sublatis, oues faciliori modo a recta veritatis via abducere posse. Qua de re non CYPRIANVS *** solum conqueritur dicitque: *ille, qui christi aduersarius et ecclesie eius inimicus, ad hoc ecclesie praepositum sua infestatione persecutur, ut gubernatore sublatu, atrocius atque violentius circa ecclesie naufragia graffetur;* sed etiam CHRYSOSTOMVS * ea confirmat: *ο διάβολος, inquit, κακόργος ἡν, καὶ δενὸς τὰς τοίαντας ράπτειν ἐπιβλαστησάς προσεδοκήσεν, ὅτι τὰς ποιμένας ἐὰν ἀφέῃ, τὰ ποιμανά ἥδιας διασπᾶσαι δυνήσεται, versutus diabolus et ad pueras aptus infidias existimat, si pastores sustulisset, ouilia se facile direpturum.* Ignatius, Cyprianus, Polycarpus aliique, qui incredibili animi constantia veritatem euangelii confessi atque martyres facti sunt, egregia hac de re nobis dant testimonia. Contra Ignatium fæuit Traianus, qui bellum contra Parthos et Armenios comparans, Antiochiam se contulit, ac quum ibi moraretur, Ignatius eum adiit; nec solum ob suceptam

* epist. xx. ad presbyteros et diaconi roman. p. 199.
de veterum adclamationib. et oper. p. 501.
plaus. libr. viii. cap. 18.

*** epist. LIX. ad Cornelium p. 262.
* bonil. XLII. in Ignatium tom. I.

sceptam in christianos persequitionem illum grauiter reprehendit; sed etiam omnem operam in eo posuit, ut animum illius imbueret verae religionis principiis atque omnem superstitionem ex eo euelleret. At vero moleste admodum id Traianus tulit atque Ignatium in vincula coniici Romamque abduci, iussit, ut ibi a leonibus deuoraretur, quod etiam in conspectu multorum hominum Romæ factum est, quemadmodum *aucta martyrii Ignatii*, * eaque germana id tradunt. Quærit qui-dem JOSEPHVS SCALIGER: ** cur Ignatius Romam perductus sit, quum præsides prouinciarum pro sua iurisdictione cauñas christianorum et profanorum hominum diiudicandi ac de illis supplicia sumendi, habuerint facultatem; nec licuerit per leges, ciuem romanum bestiis obiicere, si et adfirmetur, Ignatium vsum esse ciuitate romana? sed quæstionem hanc aliis decidendam relinquit. Nonnulli cauſam, quare Romam deductus sit, vel in insolentia Traiani, a bello Parthico reducis; vel in metu seditionis, quæ Antiochiae facile ob martyrium Ignatii concitari poterat, ponunt; *** quod au-

E tem

* *aucta martyrii Ignatii* diuersa ratione extant. Alia sunt *interpolata*, quæ SIMEON metaphrasles, SVRIVS, BOLLANDVS habent: alia *finctoriora*. Hæc primum latine edidit IACOBVS SERIVS in *appendice Ignatiana*, Lond. MDCXLVII. 4. ex duplice interpretatione, arque obseruationibus illustravit. Post obseruationibus adseruit. Post vs- SERIVM eadem latine dederunt 10. BOLLANDVS *auct. finctor. calend. febr. tom. I. p. 13. et 10. BAPTISTA COTELERIVS patr. apostol. tom. II.*

p. 157. Græce ista THEODORICVS RVINARTVS in *auctis primorum martyrum fincenis et selectis* p. 14 edit. Amstelod. ann. MDCCXIII. cum noua versione latina primus in lucem protulit: addo que venerandus PRAESES histor. eccles. nou. testim. secul. II. cap. I. §. I. p. 580. sqq. de auctis his ediderunt.

** *animaldæfensionib. in chronic. Eu- febii* p. 207.

*** vid. GVL. ERN. TENTZE- LIVM exercitnt. *select. part. I. p. 49.*

tem ad ciuitatem romanam adtinet, propter quam Ignatius bestiis obiici non potuisse, videtur, iura illius tempore imperatorum interdum violata esse, iam antea obseruauimus.* Cyprianus bestiis quidem non traditus; diuersis tamen temporibus ad leones postulatus est, ut ipse testatur,** se esse *tories ad leonem petitum in virco*, et paullo post, se clamore popularium denuo poslatum in *circo*. De Polycarpo EVSEBIVS*** enarrat, quod, quam a christianorum sacris recedere noluerit, Philippus, Asiarcha, ad eum dixerit: Θνεία ἔχω. τέτοιος τε παραθαλά, ἐδώ μη μετανοήσεις, praefato sunt bestiae, quibus te obiecturus sum, nisi sententiam mutaueris, populusque hunc rogauerit, ἵνα ζηταθῇ τῷ πολυπόδεστῳ λεόντᾳ, ut leonem aduersis Polycarpum emitteret. Addit EVSEBIVS, Asiarcham negasse, quod hoc fieri posset, quia amphitheatralē spectaculum edidisset, et postquam omnes uno consensu adclamauerint, ut Polycarpus viuus combureretur, hunc quoque igni esse traditum.

§. XVII.

Postquam expositæ sunt causæ, propter quas homines christianæ professionis faeti fuerint bestiarii, nunc ordinis ratio requirit, vt de ipsis bestiis, quibus obiecti sunt, agamus et diuersa illarum genera percenseamus.

Prin-

* Præter acta martyrii Ignatii, iam memorata, legendi sunt: PETRVS HALLOIXVS de illustribus ecclesie orientalis scriptorib. tom. I. p. 328. GVL. CAEVS antiquitat. patrum et ecclesiast. part. I. p. 237. IO. ERN. GRABIVS Spicileg. patr. secul. II. tom. I. p. 2. sqq. CASR. SAGITTARIUS

de martyrum cruciatib. cap. IX. §. 13. sqq. p. 95. MARTIN. LVBATH de antiquitat. martyrolog. cap. I. et CHRISTOPH. BEYERVS dissert. de Ignatio, veritatis confessore et martyre.

** epistol. LIX. p. 262. oper.

*** bistor. eccles. libr. IV. cap. I.

Principem in istis locum tenent *leones*,^{*} id quod quum antea et per adclamacionum formulas et per exempla testimoniaque satis est comprobatum, eos iam merito silentio præterimus^{**} atque *ursorum* facimus mentionem. His christianos traditos esse, luculenta antiquitatis documenta monstrant. SENECA^{***} dicit: *mane leonibus et ursis homines, meridie spectatoribus suis obiciuntur*. LACTANTIVS^{*} de Galerio Maximiano hæc scripta reliquit: *habet ursos ferociæ ac magnitudinis sue simillimos, quos toro imperii sui tempore elegerat. Quoties delectari libuerat, horum aliquem adferri nominatim, ** iubebat*.

E 2

* ALEXANDER AB ALEXANDRO libr. vi. genial. dier. cap. 19. tom. II. p. 646. memorat, Scœuola primum Romæ leonum spectaculum edidisse: primus, inquit, Scœuola in curuli adilitate leonum pugnas dedisse fertur; paullo alterum autem rem PLINIVS libr. VIII. hist. nat. cap. 16. refert dicitque: *leonum plurium pugnam Rome principes dedit* Q. Scœuola P. filius in curuli adilitate. SENECA de breuitat. vita cap. XIII. auctor est, quod primus L. Sulla in circu leones solutos dederit, quoniam alioquin alligati darentur; ad conficiendos eos, missis a rege Boecho jacularib[us].

** Apostolus Paulus bestiaris, qui ad leones damni sunt, haud adnumptari potest. Quamuis enim dicatur, *te liberatum esse ex ore leonis*, 2 Timoth. IV, 17. haecque verba præter alios, viri celeberrimi IOACH. LANGIYS in dem apostol. *Licht und Recht* part. II. p. 190. et 10. LAVR.

MOSHEMIUS disputat. de Panlio, ex ore leonis liberato, quæ in eiusdem cogitationib. in noui fœderis locos feliciores p. 203. extat, proprie intelligenda esse, existimans, veriorem tamen sententiam tueri videntur, qui ei figurare explicant et *leonus* vel de Nerone, ut plerique veteres et recentiores sentiunt; vel de Pauli hostibus eorumque cetera, quod est verisimiliter, exponunt. Ab hac interpretatione nos haud alienos esse, iam antea §. IX. p. 18. et §. XI. p. 21. significauimus. Pluribus eam edidisse ac confirmat IO. CHRISTOPHOR WOLFIUS cur. philolog. et critic. in 2 Timoth. IV, 17. p. 545. sqq.

*** epistol. VII.

* de morib[us] persecut. cap. XXI.

** fere haec sua nominis habebant. AMMIANVS MARCELLINVS libr. XXIX. cap. 3. refert, Valentiniandum duas ursas altissime, quarum altera appellata sit *mica aurea*: altera *inocentia*.

bebat. His homines non plane comedendi; sed obſorbendi * obiecerunt, quorum artus quum diſſiparentur, ridebat ſuauifime; nec unquam ſine humano cruore canabat. *** De teſtimoniis his vbi quis iudicet, ea ad rem probandam non ſpectare; nec fatis certa et perſpicua eſſe, adeat ille EVSEBIVM. *** Hic enim de christianis Aegyptiis, qui in Phoenicia crudeliter vexati, ſunt, hæc tradit: τόν τε παραχέημα μετα τὰς μάτιγρας ἐν δροὶν αἴμοθεοῖς ἀγῶνας καὶ τὰς ἐν τάπῳ παρεδάλεων καὶ διαφόρων ἀγέταν, et poſt verbera certamen cum bestiis, humanum ſanguinem lambere affueris, atque in eo certamine incurſus pardorum et vrofum immanium. In actis martyrum Tarachi, Probi et Andronici, que THEODORICVS RVINARTVS * exhibet, refertur, Maximum eos ad bestias damnaſe; quum vero haec illos attingere noluerint, eum vehementer ad iram incitatū eſſe et cuſtodibus ferarum mandataſe, ut emitterent atrocissimam feram, quam habebant, illosque vrofum poffimum adduxiſe.

§. XVIII.

Christianos tauris quoque fuilſe obiectos, teſtimoniis est EVSEBIVS, ** qui de Blandina hæc habet: eis γέγονον

* voce obſorbere vtirur etiam BLAVTVS tricul. II, 3, 30. ac mil. TITI, 2, 21. adde GIBERT. CVPERIVM not. in Lactantium dīct. loc. p. 182. edit. BAVLDRI.

** THEODORIC. RVINARTVS prefation. actor. primor. martyrum p. 63. ſqq. atque alii, homines, de qui obiectos fuilſe, de chritianis intertentantur; PAVLVS BAVLDRI au-

tem adnot. in Laſtantium dīct. loc. p. 161. putat, veriſimilius eſſe, homines illos fuilſe deorum cultores; quia christianos, que ſententia non plane reiſcienda eſſe videtur.

*** libr. VIII. biflor. ecclſ. 7.

* act. primorum martyrum p. 422. adde, que RVINARTVS p. 16, de vris obſeruat.

** libr. V. biflor. ecclſ. cap. I. p. 164,

*γαθον θληθεσα, ταύρω παρεβλήθη, reticulo inclusa tauro obiecta est; * alio autem loco, ** de Aegyptiis christianis refert, eos constanti ac forti animo pertulisse incursus pardorum et ursorum immatum, a prorum eriam et taurorum, qui admoto igne et candenti ferro aduersus illos incitati sunt. Præter has bestias, pardorum mentio fit apud*

PRUDENTIVM:

*sue pardis offerendum pectus; aut leonibus, **
*et a prorum in actis Perpetuae, Felicitatis et aliorum martyrum, ** ubi dicitur: Saturus nihil magis quam ursum abominabatur; sed uno morsu leopardi confici se, iam presumebat. Itaque quum aper subministraretur, venator potius, qui illum a prum subministraverat, subfossus ab eadem bestia, post dies muneris obiit. Easdem bestias HAYMO Halberstadiensis, *** EVSEBIVM sequutus, memorat, et quando de persecutione Diocletiani commentatur, ita scribit: alii damnantur ad bestias, leones, ursos, pardos, tauros, a prorum et ad omne ferarum genus, que ultima verba non sine causa addidit. Erant omnino alia bestiarum genera, quibus christiani eum in finem tradebantur, ut ab illis dispergenterentur. In his tigrides locum-*

E 3 tenuis-

* CASPAR SAGITTARIUS de martyr. cruciatib. cap. ix. §. 21. p. 97. memor quoque ex martyrologio romano exempla Tryphenis et Mariana, que itidem a tauris dilacerata fuerint.

** hist. eccles. libr. viii. cap. 7. p. 298. fq.

*** peristeph. hymn. i. vers. 57. * Quando LIVIVS ludos refert,

quos M. Fulvius fecerit, athletarum, inquit, quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit, et venatio data leonum et pantherarum, libr. xxxix. cap. 22.

** apud THEODORIC. RVINARTVM in actis primorum martyrum p. 101.

*** libr. viii. hist. eccles. cap. i.

tenuisse, ex TERTULLIANO* colligendum est: *ad bestias*, inquit, *impellimur?* certe *quas Libero et Cybele et Cœlesti applicatis*; per feras autem Liberi; sive Bacchi non alias; quam tigrides intellexit, quoniam superstitiosa antiquitas finxit currum Bacchi, qui a tigridibus trahitur. Testimonium de *canibus* exhibit TACITUS** ac tradit, quod *christiani ferarum tergis contecti, Janiuatu canum interierint*. De Benigno martyre ANTONIVS GALLONIVS*** ex *actis* eius inter alia enarrat, inclusos fuisse cum eo duodecim canes saeuissimos, fame et siti adfectos, ut ab illis disperperetur. Quod etiam *vacui obiecti* sint, ex *actis* Perpetuae et Felicitatis,* antea memoratis, patet, ubi de illis dicitur: *puelis ferocissimam vaccam ideoque præter consuetudinem comparatam, diabolus preparauit: sœxi earum etiam de bestia emulatus*. Quod cum canibus et aspidibus coniuncti et in mare præcipitati sint christiani, auctor est EUSEBIUS,** qui de Vlpiano quodam martyre hec reliquit scripta: *per idem tempus iisdemque pene diebus in urbe Tyro adolescens quidam, Vlpianus nomine, post crudeles plagas et acerbissima flagrorum verbera, una cum cane et aspide in culleum eorum crudio bouis corio insutus, in mare præcipitatus est*. Quomodo Gororanes, Persarum rex, christianos muri bus in pabulum præbuerit, THEODORETVS*** refert.

§. XIX.

Pœna hac christiani nullo alio tempore adficien-
tur;

* *apologet. cap. xii.*

** *libr. x v. annal. cap. 44.*

*** *de martyrum cruciatib. cap. ix.*
p. 303.

* apud THEODORIC. RVINAR.

TVM in *actis* primorum martyrum

p. 101.

** *de martyrib. Palestine cap. v.*

p. 325.

*** *libr. v. histor. ecclesiast. cap. 39.*

tur; nisi quum venationes instituerentur, quemadmodum EVSEBIUS* de Polycarpo narrat, quod, quum populus eum ad leones postulasset, huic proconsul responderit, μη εἶναι ἐξὸν ἀντῷ, οὐτεδὲ πεπληρωμένη τὰ κυνηγεῖα, non licere id sibi, quippe qui amphitheatrale spectaculum iam edidisset. Quocirca venationes interdum eo consilio factae sunt, vt, qui propter christi causam comprehensi erant, bestias traderentur, vt itidem EVSEBIUS** testatur. Refert enim de Maturo, Sancto, Attalo, Blandina atque aliis, eos in amphitheatum ad bestias fuisse ductos, ἐπίτηδες τῆς τῶν θηριομαχιῶν ἡμέρας διετέλεσθαι διδούμενος, præbito de industria munerum die propter nostros. Venationes eiusmodi præsertim in natalibus principum exhibebantur. Patet hoc ex EVSEBIO, *** qui dicit: ὁ μὲν Ἀδριανὸς Δύσκες πέμψας μηνὸς περὶ τοῦν νάνω Μαρτίου, γενεθλίου τῆς πατρὸς Καίσαρεων νομίζουσαν τόχην ἡμέρα, λέοντι παραβληθεῖς, Adrianus quidem quinto die mensis dysstri, id est, ante diem tertium nonas martias, quo die natalis genii publici, ut gentiles existimant, apud Cesaream celebratur, leoni obiectus; de Maximino autem tradit, * quod ob natalem suum spectacula populis exhibuerit. De Perpetua, maxime illustri inter feminas martyres, legimus, ** quod ad tribunum dixerit: quid utique non permittis, refrigerare noxiis nobilissimis, cesaris scilicet, et natali eiusdem pugnaturis? Quo et spectant a BEDA *** his litteris mandata: in Mauritania, ciui-

* libr. IV. hist. eccl. cap. 15.
P. 132.

** libr. V. hist. eccl. cap. I. p. 161.
P. 100.

*** de martyribus Palestinae cap.
XL p. 341.

* ibidem cap. VI.

** in actis Perpetuae, Felicitatis et
aliorum martyrum apud THEODOR.

RIVINARTVM act. primorum martyr.
P. 100.

*** martyrolog. non. mart. tom. II.
oper. p. 397.

ciuitate tuburbitanorum, passio sanctorum Perpetuae et Felicitatis martyrum, et cum eis Reuocati, Saturnini, et Secunduli, quorum ultimus in carcere quieuit: reliqui omnes ad bestias traditi sunt, sub Seuero principe, die natali eius. Plura testimonia, quae hanc rem comprobant, PETRVS FABER * et BARNABAS BRISSONIUS ** exhibent.

§. XX.

Specacula hæc matutino tempore edita sunt, quam in rem SVETONII *** testimonium satis perspicuum habemus. De imperatore enim Claudio scribit: bestiariis meridianisque adeo deletabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descendenter et meridie, dimisso ad prandium populo, persederet, ubi vox meridianis non referri debet ad bestiarios; sed intelligenda est de gladiatoribus, qui meridiani appellati sunt, quia circa meridiem exhibebantur, vti mane bestiarii. Quocirca SENECA * dicit: mane leonibus et vrsis homines: meridie spectatoribus suis obiciuntur; alibi autem: ** nuper in ludo bestiariorum vnius e germanis, quum ad matutina spectacula pararetur, secessit ad exonerandum corpus; item: *** ridere solemus inter matutina arenae spectacula tauri et vrsi pugnam, intersé colligatorum. Idem MARTIALIS * ita confirmat:

In matutina nuper spectatus arena

Mucius, imposuit qui sua membra fociſ.

et alio loco **

Ista

* agonist. libr. II. cap. 29. apud IAC. GRONOIVM thesaur. antiquitat. græc. tom. VIII. p. 2241.

** conui. ad leg. cod. de spectaculis et feriis, itidem apud GRONOIVM thes. tom. VIII. p. 230.

*** vit. Claudii cap. XXXIV.

* epifol. VII.

** epifol. LXX.

*** libr. III. de ira cap. 43.

* libr. x. epigrammat. 25. V. 1. 2.

** libr. v. epigrammat. 65. V. 7. 8.

*Ista tue, cœsar, quota pars spectatur arenæ?
dat maiora nouis prælia mane dies.*

Videantur, qui plura de arguento hoc habent: LAEVINVS TORRENTIVS, * IVSTVS LIPSIUS, ** IVLIVS CAESAR BULENGERVS, *** IO. ARGOLVS * et SAMVEL PITISCVS. **

§. XXI.

Nunc ad modum, quo christiani bestiis traditi sunt, explanandum nos conuertimus. Varium illum fuisse, recte obseruat ANTONIVS GALLONIVS *** remque ita edisserit: non uno eodemmodo feris sancti martyres obiiciebantur, siquidem aliquando uestibus denudati in mediis theatris aliisque locis, in quibus morabantur, includi solebant: quandoque ʃtipitibus ligati; vel retibus inuoluti; aut ferrum pellibus induiti; aut denique pedibus, perforatis lapi-dibus, liquefacto plumbo inserris et candenibus subulis in manuum digitis, per longum defixis, canum laniatibus, custodiis conclusi tradebantur. Sed diuersos hos modos distinete enarrare decet. Initium facimus a ʃtipitibus, quibus martyres sunt alligati, quum feris obiicerentur.

FLAVIVS VOPISCVS, * de Mnestheo, quem Aurelia-

F

nus

* commentar. in Sueton. Claudium cap. XXXIV. p. 269.

roman. tom. IX. p. 814.

** libr. II. saturnal. sermon. cap. 15. tom. III. oper. p. 958. Inter alia et hæc recte obseruat: duplex spectaculum: matutinum et meridianum. Mane cum bestiis depugnabant; post meridiem ii, qui superfuerant, inter se et meridiani gladiatores vocabantur.

* not. ad Onuphr. Panuinum de ludis circensib. libr. II. cap. 14. item apud GRAEVIVM thesaur. antiquitar. roman. tom. IX. p. 441.

** adnotat. ad Sueton. August. cap. XLIV. tom. I. p. 261. et Claud. cap. XXXIV. p. 707.

*** de martyr. cruciat. cap. IX. p. 302. sq.

* Aurelian. cap. XXXVI. sq.

nus pro notario secretorum habuerat, tradit, *eum surrectum ad stipitem bestiis obiectum esse*, quando autem gentes superstitione in propria religionis socios fœnitiam eiusmodi adhibuerunt, mirum non est, quod eadem aduersus christi cultores sint usi. Itas omnino hoc fecisse, comprobant scriptorum testimonia, quæ nec obscura sunt; nec fide atque auctoritate carent. Generatim rei meminit TERTULLIANVS: * *crucibus*, inquit, *et stipitibus imponitis christianos*; alibi ** autem memorat *stipitem iam leoni concessum*, et per illum significat christianum, qui stipiti alligatus leoni sit traditus. Apud EVSEBIUM *** habemus hanc in rem Blandinæ exemplum, quæ *ad palum suspensa, bestiis obiecta est*, et quum statim additur, *eam in crucis speciem suspensam usum esse*, ex his etiam colligi potest, qualem figuram stipites eiusmodi præ se habuerint. Ad similitudinem enim crucis illi accedebant.

§. XXII.

Præter iam memoratum, alii erant modi, christianos rabiei ferarum exponendi. Nonnullos eis *nudos obiectos fuisse*, testis est EVSEBIVS. * Quando enim res fert, quod interdum bestiae corpora christianorum nec attingere; nec proprius accedere, ausæ sint, inter alia quoque consuetudinis, christi adseclas, omni veste expoliatos, feris obiciendi, mentionem facit. Verba eius,

* *apologetic. cap. xxi.*

** *de pudicitia cap. xxii. p. 744.*
Vulgaris quidem lectio est: *in stipite tam leone concessum*; corrigit autem istam merito IVSTVS LIPSIUS arguebat, *vocem leonis non in*

aferendi; sed dandi casu exprimendam esse, libr. 111. de cruce cap. 11. tom. 111. oper. p. 1207.

*** *libr. v. histov. ecclesiast. cap. 1.*

* *libr. v111. histov. ecclesiast. cap. 7.*

eius, quæ breuitatis causa latine tantum describamus, hæc sunt: *solos vero sacrosanctos arbleras, qui nudis corporibus stabant et commotis manibus eas in semetipsos prouocabant, id enim facere iubebantur, ne contigerunt quidem.* Alii reticulis inuoluti bestiis tradebantur, vt illarum fierent esca. Tradit hoc EVSEBIUS * de Blandina, muliere incredibilis constantiae, quæ tanta mentis fortitudine omnes cruciatus toleravit, vt ipsi deorum cultores faterentur, se nullam vniuersam habuisse feminam, quæ tot ac tanta mala pertulerit. De hac dicit: *post flagra: post ferarum vellicaciones: post sartaginem, reticulo inclusa, tauro obiecta est.* Præter hanc, Perpetuam et Felicitatem despoliatas et reticulis induitas producetas esse, vt ferocissimæ vaccæ obiicerentur, in actis ** illarum legimus. TACITVS *** auctor est, quod christiani ferarum pellibus testi, canibus sint expositi: *pereuntibus, inquit, addita ludibria, vt ferarum tergis connecti, laniatu canum interirent.* Eadem, ex TACITO sumta, habet SVLPI-CIVS SEVERVS * ac, quum de Nerone eiusque crudelitate in christianos exponit, hæc quoque memorat: *actæ in innoxios crudelissima quæstiones: quin et nouæ mortes excogitate, vt ferarum tergis connecti, laniatu canum interirent;* inuoluti autem sunt christiani, antequam canibus traderentur, eum in finem ferarum pellibus, vt canes et faciliores et grauiores impetus in illos facerent ac maiorem exercerent crudelitatem.

F 2

§. XXIII.

* libr. v. histor. ecclæf. cap. 1.

*** libr. xv. annalium cap. 44

** vide THEODORIC. RVINAR. TVM act. primorum martyrum p. IOL.

* libr. II. cap. 29.

§. XXIII.

Solebant quoque illi, qui ad bestias damnati erant, vincti in pontibus deponi, ut ferae sine impedimento in eos inuadere ac fœnire; omnes autem tormenta hæc conspicere possent. Ritus huius documenta habemus in actis Perpetuae et Felicitatis aliorumque martyrum, * vbi de Saturo dicitur: *quam ad vrsum substrictus esset in ponte, vrsus de cauea prodire noluit.* Erant autem pontes huiusmodi tabulata alleuata et facta ad formam pontium, ita ut altera pars terram attingeret; altera autem per pedes ligneos atque ex alia materia compositos esset altior. Ita rem perspicue explicat atque figuram horum pontium exhibit GIBERT. CUPERVS. ** Adpellati quoque sunt pulpita, vt itidem ex paullo ante memoratis actis Perpetuae et Felicitatis constat, in quibus de duobus martyribus hæc narrata sunt: *in commissione spectaculi Saturninus et Reuocatus leopardum experti: etiam super pulpitum ab vrso vexati sunt, id est, in pontibus positi primum a leopardo: deinde ab vrso vexati; siue dilacerati fuerunt.* Propter pontes hos christiani, qui hac ratione tradi debebant bestiis, ascendere dicebantur, quemadmodum ex sepe dictis actis Perpetuae et Felicitatis adparet. Ibi enim hæc habentur: *cereri quidem immobiles et cum silentio ferrum receperunt: multo magis Saturus, qui et prior scalam ascenderat: prior reddidit spiritum.* ***

§. XXIV.

* que extant apud THEODORIC. RVINARTVM act. primorum martyrum p. 101. persecutor. cap. XXI. p. 184. edition. BAVLDRI.

** not. in Lactantium de mortib. *** vide RVINARTVM dict. log. p. 101. 102.

§. XXIV.

Ex iis, quæ nunc a nobis traditæ sunt, dilucide adparet, qualis fuerit ratio bestiæ inter antiquos christianos. Multa eorum commemorauimus exempla, ad rem probandam atque illustrandam satis apta; quibus tamen nonnulla alia, in veterum scriptorum monumentis itidem conseruata, adiungi possunt. Præter enim enumeratos bestiarios, insignem in illis locum tuetur Germanicus, adolescens, quem quum proconsul ætatis admoneret atque oraret, ut per adolescentiam suam sibi ipse parceret, ille nihil cunctatus, ultro in se attraxisse bestiam, traditur. Referunt hoc ita Smyrnenses: * *Germanicus splendide pugnauit cum bestiis. Nam quum proconsul eum flectere veller diceretque, ut suam ipse etatem miseraretur, ille bestiam ultro ad se attraxit eique vim intulit, cupiens, velocius ex iniusta et iniqua eorum hominum vita effugere, idemque memorat EVSEBIVS.* ** Contigit hoc ea tempestate, quæ aduersus christianos sub Marco Aurelio Antonino concitata est. Quum auctoritate Valeriani in seruatoris nostri cultores fæciatur, apud Cæsaream Palæstinæ tres viri, post insignem christi confessionem, ad bestias damnati sunt, Priscus, Malchus et Alexander. *** Persequitione, a Diocletiano et Maximiano Herculio excitata, Silvanus, sacrorum Emisenorum antistes, martyr factus fuit, ea quo-

F 3 que

* *epistol. de martyrio Polycarpi* s. III.
quam post IAC. VSSERIVM, grece
et latine ediderunt: IO. BAPTISTA
COTELERIVS patr. apostol. tom. II.
part. I. p. 105. HENR. VALESIVS
adnot. in *Euseb.* p. 68 et 73. THOMI
ITTIGIVS biblioth. patr. apostolice
p. 392. et THEODOR. RVINARTVS
act. prim. martyr. p. 31. et 37.
** libr. IV. histor. eccl. cap. 16.
*** vide EVSEBIVM libr. VII. bi-
stor. ecclieisift. cap. 12.

que ratione, vt bestiis traderetur, quod EVSEBIUS * memoriae prodidit: *Siluanus, inquit, Emisene antistes ecclesie, in ipsa vrbe Emisa feris obiectus, vna cum aliis quibusdam in martyrum relatus est numerum,*

§. XXV.

Quamuis christiani summos sentirent dolores, quum bestiis ad prædam propositi essent et ab illis dilacerarentur; incredibili tamen constantia ac fortitudine illos suscepserunt ac sine villa perturbatae mentis significacione pertulerunt. Quum proconsul Polycarpum ad christianam religionem deferendam commouere vellet atque hac vteretur comminatione: Θεοί ἔχω, τάτοις σε παρεβαλῶ, ἐὰν μὴ μετανοήσῃς, bestias habeo: his te obiciamus; nisi resipueris, respondit ille: πάλεις αἱμετάθετος γὰς ήμῖν ἀπὸ τῶν κριτέρων εἴσι τὰ χείρω μετάνοια καλὸν δὲ μεταθέται με ἀπὸ τῶν χαλεπῶν εἴσι τὰ δικαια, eas, bestias videlicet, arcessè. Neque enim resipiscere solemus ea resipiscientia, qua a melioribus ad deteriora mutatio fit. Bonum autem est, me a malis ad iusta transire. ** Ignatius postquam audiuerat, se ad bestias damnatum esse, cum gaudio

* Ebr. viiiij. histor. ecclesiast. cap. 13. Alio loco hæc de eo enarrat: tres apud Emisam, sibi ben Phœnices, christianos se esse, confessi, bestiis obiciantur. Erat inter eos Siluanus episcopus, decripsit iam astatim, qui per annos quadraginta sacerdotis ministerium obiebat, libr. ix. histol. eccl. cap. 6. addit. NICEPHORVM libr. vii. histol. eccl. cap. 16. In romano atque alius martyrologis mors illius, cum martyris dignitate coniuncta, ad diem

vii. ianuar. refertur atque in isto hæc memorantur: Siluanus quum ecclesiæ Emisene annis quadraginta praefuisse, sub Maximino imperatore una cum duobus aliis obiectus feris membratimque discerpens, martyri palmam accepit.

** epistol. ecclesiæ Smyrnensis de martyrio Polycarpi §. xi. apud IO. BAPT. COTELERIVM tom. II. patr. apostolicor. part. I. p. 199. adde EVSEBIUM libr. IV. histol. eccl. cap. 15.

gaudio exclamauit: *tibi gratias ago, domine, quia me perfecta erga te caritate honorare dignatus es, qui me cum apostolo tuo Paullo ferreis vinculis vinciri permittis.* * Quem hilarem atque ad omnem saevitiam, quam a bestiis expectare debebat, paratum animum Romanis significauit atque ita ad eos scripsit: ὀνάρην τῶν Θεοῖς τῶν ἡμῶν ποιμασμένων, καὶ ἔυχομά ἔτοιμά μοι ἐνρεθῆναι, ἵνα καὶ πολάνεστο συντόμως με καταφαγεῖν, δικαιώσει τὸν δειλανόμενα ὑπὲρ ἡγαντοῦ, γνανα- fruar bestiis, mihi preparatis, quas et opto mihi prontas inueniri, quibus et blandiar, ut cito me deuorent, non ut quosdam veritate non terigerunt. ** Quod modo Germanicus adolescens ipse bestiam in se prouocauerit atque alii bestiarum singularem quoque constantiam praefere habuerint, ex antea dictis patet. *** Non natura, quae ab eiusmodi cruciatibus plane abhorret; sed celestis eaque singularis virtus fortitudinem hanc atque

* in actis martyrii Ignatii §. II. apud IO. ERNESTVM GRABIVM spicileg. patrum scul. II. tom. I. p. II. et COTELERIVM tom. II. patr. apostolic. part. I. p. 158.

** epifol. ad Romanos §. v. p. 86. edit. ITTIGII in biblioth. patrum apostolic. Paullo ante §. iv. p. 85. item pte et grauitate declarauit, se de bestiarum crudelitate hand metuere: immo mortem, ab illis adferrandam, tamquam miseriarum finem atque initium celestis gaudii, adpetere. Verba eius, quae latenter describamus, hac sunt: *finire, ne ferarum cibum esse, per quas deum consequi licet. Frustrum sum dei et per ferarum dantes molor, ut*

purus panis christi inueniar. Feris porius blandimini, ut mihi sepulcrum fiant nibilque mei corporis relinquare: adde EVSEBIVM libr. IIII. hislor. eccl. cap. 36.

*** de fortitudine veterum martyrum exposuerunt: THEODORICUS RVINARTVS praefat. ad acta primor. martyrum p. 72. HENRICVS DODWELLVS differt. Cyprianic. XIIII. de primorum martyrum insigni fortitudine eiusque cauiss: GOTTFRIED. ARNOLDVS libro, quem germanice et cum inscriptione: *Ortes Marterium, in lucem edidit. His adiungit potest IO. GEORG. OSTIVS differt. de hymnis martyrum in primitiis ecclesie.*

atque hilaritatem peperit; quum autem bestiarii vna cum reliquis martyribus, tamquam fideles christi sectatores, virtutis illius, supra omnem humanam naturam positae, per doctrinam christianam participes fierent, hanc diuinam esse, per sanguinem suum declararunt atque egregia testimonia de veritate sanctissimæ religionis nostræ dederunt.

§. XXVI.

In primis admiranda et laudanda est prouidentia dei, cuius eximia plane documenta bestiarii interdum monstrabant. Contigit enim, ut bestiae, quando impetus in christianos facere debebant, corpora eorum attingere noluerint, quamvis multum essent incitatæ, ac luculenter monstrauerint, deum ferociam earum ita reprimere, ut non crudelitatis; sed amoris darent signa. Quæ hoc comprobant, in antiquis monumentis adsum exempla. De Blandina, cuius iam aliquoties mentio facta est, apud EVSEBIVM* relata legimus, quum nulla tunc bestia corpus illius attrigisset, eam depositam ex stipite, rursus in carcерem coniectam esse; de Aegyptiis autem, qui doctrinæ christianæ cauſa ad supplicia trahebantur, idem scriptor ** hæc memorat: voracissime bestie longo temporis spatio nec astringere sanctorum corpora; nec proprius accedere sunt ausæ, ac paullo post addit: rursus vero alios vidisses, efferrato obiecto tauro, qui alios quidem ex infidelium numero, cornibus in sublime iactatos, discerpebat ac semiuiuos asportandos relinquebat; ad solos autem sacros martyres, quum in eos furens et minabundus irrueret,

* libr. v. bistor. eccles. cap. 1.

** libr. viii. bistor. eccles. cap. 7.

adde martyrolog. roman. d. x. calend. mart.

ret, ne accedere quidem poterat. Sed pedibus terram qua-
tiens et hac illac iactans cornua atque ob cendentis ferri flui-
mulus furorem ac minas spirans, nibilominus, diuina obfir-
fiente prouidentia, retro auertebatur. De Saturo martyre
memoria proditum est, eum neque ab apro; neque ab
vrso, postquam illis, veluti praeda, traditus fuerit, vio-
lari potuisse: immo vrsum noluisse de cauea prodire. *
Præter alia exempla, luculentum hac de re testimonium
IGNATII ** habemus. Quando enim ad Romanos
scribit, se bestiis blandiri, ut cito eum deuorent, hæc
addit: ἐχ ἀστερε τινῶν δελαινόμενα ἐχ ἥψατο. καὶ αὐτὰ δὲ
ἄκοντα μη δελήσῃ ἐγώ περιθάσομαι, non ut quosdam veri-
te non tetigerunt. Si autem illæ repugnantes noluerint, ego
vi impellant. *** Non solum autem deus interdum im-

G

pedi-

* vid. acta Perpetua, Felicitatis et
aliorum martyrum. §. xix. apud THEO-
DORIC. RVINARTVM act. primor.
martyr. p. 101.

** ep̄pol. ad Roman. §. v.

*** addit ANTON. GALLONIVM
de martyrum cruciatiib. cap. ix. p. 301.
fqq. et CASPAR. SAGITTARIVM
libr. de cruciatiib. martyr. cap. ix. §. 28.
fqq. p. 99. vbi alia exempla ex mar-
tyrologiis sumta, percenset. Qui
existimat, ex illis haud peti posse
argumentum singularis prouidentiae
diuine erga martyres, ea de cauſa,
quia homines etiam impii ac super-
stitionis eiusmodi tutela aduersus be-
stiarum ferociam atque imperum
vsi sint, rem non rite ac accurate
diuidicant. Traditur omnino in pro-
fanis scriptorum monumentis, quod

deorum cultores feris interdum
objecti; ab illis autem haud violati
ac læsi fuerint, quemadmodum apud
A. GELLIVM de Androclo, seruo
viri confularis, refertur, eum addu-
ctum esse, ut cum leone pugnaret;
huncque nullam crudelitatem; sed
mansuetudinem erga illum prodi-
isse. Dicitur enim: τυν ille leo
obi vidie procul, repente, quasi admiri-
rans, bestie ac diuide senfum atque pla-
ciile, tamquam noscitabundus; ad ho-
minem accedit: zum caudam more
asque ritu adulantum canum clemen-
ter et blande mouet bonumque seſe
corpori adiungit cruxaque eius et ma-
nus prope iazu examinata metu, lingua
malenter demulcer, libr. v. noſt. atticar.
cap. 14. Sed cauſa, cur leo hic er-
ga seruum ſe mitem ac mansuetum

pediuit, quo minus bestiæ in corpora martyrum sœuient eaque dilacerarent; sed etiam furorem illarum in eos ipsos conuertit, qui istas ad christianos dilaniandos concitabant, vt hi illustriora testimonia de innocentia sua impetrarent. Paullo ante ex EVSEBIO * recitauit, quod efferatus taurus, cui seftatores christi erant obiecti, alios ex infidelium numero, cornibus in sublime iactatos, dilacerauerit. Idem contigit illi, qui aprum contra Saturum subministraverat, atque ita litteris mandatum fuit: *Saturus nihil magis quam vrsus, abominabitur; sed uno morsu leopardi confici se, iam presumebat. Ira que quum aper subministraretur, venator potius, qui illum aprum subministraverat, subfessus ab eadem bestia, post dies muneris obiit.* **

§. XXVII.

Sed tantum absuit, vt tam illustria documenta curiae ac iustitiae diuinæ ad animos hostium iesu christi mutandos mitigandosque valerent; vt illi in sauitia sua permanerent ac qui seruatorem nostrum profitebantur, eos aliis adficcerent suppliciis. Interemti sunt gladio. Id quod

præberet, naturalis fuit. Ex iis, quæ apud GELLIVM sequuntur, manifestum est, feruum iam antea cum leone coniunctum fuisse eique postquam vulnus accepérat, opem adulisse. Simile exemplum narratur ^a SENECA: *Iconem, inquit, in amphitheatro spectauimus, qui enim, e bestiariis agnitus, quum quandam ei fuisset magister, protexit ab impetu bestiarum, libr. II. de benefic. cap. 19. Alia era ratio bestiariorum christianorum, quando fere, licet maxime*

incitatæ essent, in illos nullum impetum fecerunt. Quod enim deus harum bestiarum ferociam compreserit atque ita dederit documenta prouidentiæ, quæ supra vires ac leges naturæ posita est, res ipsa declarat.

* libr. VIII. bistor. eccles. cap. 7.

** in actis Perpetuae, Felicitatis, ceter. §. XIX. quæ THEODOR. RVI NARTVS in acta primorum martyrum transluit p. 101.

INTER ANTIQVIORES CHRISTIANOS.

quod EVSEBIUS * de Maturo, Sancto, Attalo, Alexander, Adriano, Blandina ac reliquis tradit, idemque de Taracho et Andronico ** ac præter hos, de Dominica *** virgine memoratur. Alii igni traditi ac per vim illius consumuti fuerunt, quorum exempla in martyrologiis conservata habemus. Immo christianorum hostes non satis esse, putabant, si illos vexarent et per summos cruciatu[m] vita priuarent; sed etiam pro incredibili animi acerbitate et rabie in ossa eorum post mortem saeuierunt. Corporibus, quæ ab animabus disiuncta erant, tantum abfuit, ut sepulturam permetterent, ut ista bestiis ad cibum itidem traderent; vel in mare coniicerent; vel cremarent. EVSEBIUS * de Aegyptiis, qui in Phcenicia martyres facti sunt, haec habet: tandem posse multiplices et horrendos bestiarum incursi cuncti gladio confossi, sepulcri loco marinis gurgitibus commendati sunt, et apud eundem ** Viennenses et Lugdunenses, quum exposuerunt de bestiariis, de iis etiam testantur, quod, postquam corpora omni genere contumelias traducta et subdino per sex dies exposita iacererunt, tandem cremata atque in cineres redacta in praefluentis Rhodani alacrum sparsa sunt

G 2:

ab

* libr. v. histor. eccl[esi] cap. i. libr. VIII. cap. 7. ac de martyrib. Palestina cap. XI.

** in actis horum martyrum, que THEODOR. RVINARTVS act. pri- mor. martyr. p. 423. græce ac latine exhibet. Ibi de Taracho et Andronico narratur, quod p[er]issimo vrso et levanæ sint obiecti; quum autem bestiæ haec se mansuetas præbuerint atque ab omni abstinerint im-

petu, Maximus iussit, martyres hos gladio interficere.

*** in martyrologio romano prid. non. iul. de ea dicitur: sub Diocletiano imperatore quum fregisset idola, ad bestias damnata; sed ab illis nil lasta, denum capite obtuncata migravit ad dominum.

* libr. VIII. histor. eccl[esi] cap. 7.

** libr. v. histor. eccl[esi] cap. 1.

ab impiis, ne vllæ deinceps eorum reliquie in terris superessent. Comprobat hoc etiam adpellatio, apud deorum cultores vslu recepta: areæ non sunt, cuius TERTVLIANVS * ita meminit: quum de areis sepulturarum nostrarum adclamassent: areæ non sunt, areæ ipsorum non fuerunt. Messes enim suas non egerunt. Verum et contra hanc fætitudinem deus adhibuit iustitiam ac prouidentiaæ suæ dedit documenta, vt ex EVSEBIO ** patet, qui tradit, quamuis martyrum cadavera per quatuor dies exposita fuerint, vt bestie ista dilaniarent ac deuorarent; nullam tamen feram, nullam auem, nullum canem ad ea accessisse. Verba eius sunt: sacrosancta cadavera, martyrum videlicet, insu quidem impii presidis per quatuor continuos dies totidemque noctes, additis militari bus excubitiis, exposita sunt, vt a carniuoris bestiis laniarentur. Sed quum præter omnium exspectationem nec fera; nec volucris vlla; nec canis ad ea accederet, tandem, diuina ordinante prouidentia, integra atque illæsa asportata sunt omni que funebri cultu, vt par erat, ornata et curata consue-
tae tradita sunt sepulturae.

* ad Scapulam cap. IIII. p. 86. oper. ** de martyrib. Palæstinæ cap. XL.

F I N I S.



V I R O



V I R O
CONSULTISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO
IO. REINHARDO KOCHIO

SERENISSIM PRINCIP. HASS. DARMSTAD.
A CONSILIIS DE REBUS, QVAE AD REDITVS
PVBLCOS PERTINENT,

S. P. D.

IO. GEORGIVS WALCHIVS.

ITA optimus filius tuus apud nos se gessit,
vt illis merito adnumeretur, qui rectis
litterarum ac vitæ studiis boni ciuis opini-
onem tuentur ac laude ingenii ac mentis
florent. Ut promtum admodum expedi-
tumque ingenium suum rite excoleret, non
solum scholas eorum, in quorum fidem se
tradidit, obiit iisque solertiam ac sedulita-
tem adprobauit; sed etiam cum illorum
præceptis proprias legendi ac meditandi
exercitationes sapienter coniunxit. Diui-
niori doctrinæ postquam se consecrauit, ad
singulas quidem disciplinas, quibus illa ab-
solui-

H

solui-

soluitur, operam suam adhibuit; præcipue
autem ex iis monumentis cepit voluptatem,
quæ res, in sacra republica gestas, aperiunt
harumque scientiam comparauit sibi non
mediocrem. Industriæ huius testimonium
satis luculentum exhibet commentatio, quam
nunc vides, de bestiariis inter antiquiores
christianos, quum ipse ad argumentum illius
enarrandum et præclaram ingenii vim et sin-
gularem diligentiam contulit. Nec tamen
studiorum suorum cursum ita tenuit, vt
solam cupiditatem eruditionis præ se ferret;
sed eam quoque laudem sectatus est, quam
virtus bonique mores pariunt. Propter
ornamenta hæc doctissimi filii tui non pos-
sum, quin Tibi de tua pariter; ac illius felici-
tate enixe gratuler et deum venerer, vt
Te, bonis omnibus adfluentem, cum splen-
dida familia per plures annos seruet ac filium
Tibi saluum et incolumem reddat. Id quod
vbi per cælestem benignitatem contigit, pa-
tria habebit virum, qui multos vberesque
doctrinæ fructus præbere et poterit et con-
stituta animi sententia volet. Ienæ, d. iv. febr.
anno reparatae gratiæ diuinæ M D C C X L V I.

NOBL

* * *

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

CHRIST. NICOL. KOCHIO

S. P. D.

M. IO. ERNEST. IMMAN. WALCHIVS.

PUBLICVM tuum, quod hodie, VIR NOBILIS.
SIME, in omnium oculis exponis, industriae spe-
cimen amplissimum mihi exhibet argumentum,
meum in Te animum Tibi significandi ac monumentum
starduendi integræ amicitia, cuius vinculum inter nos
arctissimum semper extitit. Sane iste ingenii fetus,
quem emittis, locupletissimus est testis ac interpres
tuæ diligentia et aperte declarat, sapientem vitæ aca-
demicæ rationem Te iniisse tempusque tuum ita collo-
casse, vt nihil in Te desiderari possit, quod ad partes
boni ciuiis pertinet. Quumque in hoc musarum sacra-
rio diuinioribus doctrinis operam tuam studiaque ad-
dicis, recte et prudenter adhuc in eo elaborasti, vt fata
atque res gestas cetus, qui christianam profitetur reli-
gionem, cognitas ac perspectas Tibi redderes, sine qui-
bus præsidiis nemo mysteriis sanctioris disciplinæ ini-
tiari et in sacræ ac reconditæ huius scientiæ adyta de-
scendere ac penetrare potest. Igitur venerandus tuus
pater iam maximam lœtandi materiam præ se habet et

H 2

patriæ



patria spem, quam de Te, freta tuo præclaro ad virtutem impetu, sibi facit, haud irritam fore, claris signis cognoscit. Augurium suum nunc exitu comprobari videt atque ex commentatione hac ingenii ac litterarum tuarum vberatatem sentit; ex hac autem in posterum haud exiguum messem sibi promittere potest. Quapropter animum, de egregiis his laudum tuarum accessionibus lætitia adfluentem, Tibi significo atque opto, vt, gratia diuina septus, metam, quam Tibi fixisti, feliciter adsequaris: curriculum diligentia tuae, in quo Te exerces, ex animi sententia conficias: viuendi spatium in hac vitæ breuitate quam diutissime proferas; nec tristiori casu rationes tuae vñquam disturbentur. Hoc omnes, qui Tibi bene cupiunt, optant ac vrouent. Quorum numero vi et ego me omni iure adscribo; ita litteras has, quasi votiuam tabellam, pro tua incolumente et feliciori rerum tuarum successu, in dissertationis tuae doctissimæ fine suspendere volui,

Ienæ, d. ix, febr. anno reparatae salutis humanæ

M DCC XXXXVI.



ATRO.

* * *

ATROCES fauces, christiano sanguine
plenas,

Heu! tristes ludos, SVAVIS AMICE, canis.
Ast hæc delectant spectacula tristia cunctos,

Qui rectis musis ingeniisque fauent.

Namque TVAM laudant artem, numerique
supremum

Muneribus multis TE cumulasse, docent.

Quare iure TIBI, DOCTISSIME, plaudimus
omnes

Optamusque pie prospera fata TIBI.

272 H 3 ALIUS TAN

Ornatissimo dissertationis huius auctori, fautori suo
longe estimatissimo, de præclaræ eruditio[n]is
edito specimine gratulatur ac constanti illius
benivolentia studiose se commendat

CHRIST. WILHELM. FRANC.
WALCHIVS, A.M.

QVA

* * *

QVA diris humana feris obiecerit ira
Bestia Christicolas, suavis AMICE!
doces.
Sanguine fundarit quanto sua dogmata
Martyr,
Monstras, et specimen docte tuere TVVM.
Hinc mea festivo celebro pia gaudia plausu
Et TIBI succedant prospere cuncta precor.

Nobilissimo Doctissimoque
huius dissertationis AVCTORI
de egregio specimine
sub omnigenae prosperitatis
voto gratulatur.

M A T T H I A S H E V S,

Argentoratensis.




AUD

01 A 6538



5b.



12
4.

DISSERTATIO
DE
BESTIARIIS
INTER
ANTIQVIORES CHRISTIANOS

QVAM
 P R A E S I D E
IO. GEORGIO WALCHIO
 THEOL. D. ET P. P. ORD. SERENISSIMOR. SAX. DVC. AC MARG.
 GRAVII BRANDENBURG. ONOLDIN. A CONSILIIS ECCLE-
 SIAST. ET CONSISTOR. CIVIVM IN HAC ACAD. MEINVNG.
 ET ONOLD. INSPECTORE
 PATRONO PRAECEPTORE AC HOSPITE SVMMA PIETATE COLENDO
 D. XII. FEBR. M DCC XXXXVI.
 PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT
 A V C T O R
CHRIST. NIC. KOCH
 BVXOV. ALSATVS.
 SACRAR. LITTERAR. CVLTOR.



IENAE LITTERIS IO. FRIDERICI RITTERI.

